R. BIBL. NAZ.
Vitt. Emanuele III.
RACCOLTA
VILLAROSA
A
400
NAPOLI

1652 el

Ric. [illegible]



FRANCISCVS SERAVS
ÆT. ANN. LXXXI

Nazionale V. E. III.
NAPOLI

Digitized by Google

53 30 88 Racc. Vill. A. 400

DE VITA

MUNIIS ET SCRIPTIS

FRANCISCI SERAI

PHILOSOPHI ET MEDICI NEAPOLITANI
CLARISSIMI

COMMENTARIUS.

NEAPOLI MDCCLXXXIIII.
EX TYPOGRAPHIA SIMONIANA.
Publica Auctoritate.

Biblioteca Nazionale NAPOLI

Digitized by Google

Nazionale V. E. III
NAPOLI

Digitized by Google

EXCELLENTISS. REVERENDISSIMOQUE

DOMINO

D. ISIDORO SANCHEZ

DE LUNA

PATRITIO NEAPOLITANO

ORDINIS S. BENEDICTI

CONGREGATIONIS CASINENSIS

ARCHIEPISCOPO TARSENSI

S. R. M. a Sacris & a Conſiliis Regioque Archigymnaſio Præfecto.

THOMAS FASANUS S. P. D.

REm Tibi, Præſul Ampliſſime, & omnibus, qui litteras colunt, gratiſſimam me facturum putavi, ſi Franciſci Serai, primarii in Gymnaſio

Neapolitano Medicinæ Profeſſoris; anno ſuperiore e vivis ſublati, vitam, munia, ſcripta, non ad elogii ſpeciem, ſed ad hiſtoricæ veritatis fidem exacta conſcriberem, Tibique æquiſſimo judici ſubjicerem & commendarem. Nam etſi vir ſummus editis ingenii doctrinæque monumentis, non interiturum inter ævi ſui medicos, philoſophos, litteratos nomen ſibi comparavit; tamen grati animi mei officium poſtulabat, ut ejus, qui me in medicis inſtituerat, ſibi aliquando in cathedra ſuffecerat, atque ad petendam obtinendamque cathedram perduxerat, memoria per me quoquomodo publice coleretur. Tibi vero, cui hæc omnia ita perſpecta ſunt, ut nemini magis eſſe poſſint (adoleſcentulum namque Tibi in ethicis; Martino in mathematicis; Lamæ in phyſicis; eique, de quo nunc ſermo eſt, Serao in medicis

ſedulam operam dantem noſti & excitaſti) vel hoc ſaltem nomine meus hic qualiſcumque commentarius acceptus eſſe debet. Et vero ſi eorum, quos nunquam vidimus, fama tamen ingenium, doctrinam, virtutem accepimus, imagines intuendo, magnam capimus voluptatem; quanto majorem capere debemus eorum, quos novimus caroſque habuimus, non corporis formam (quæ ſæpe fallax animi index eſt) ſed ipſam ſinceramque animi faciem ex rebus præclaris, quas geſſerunt, fideliter expreſſam intuendo? Hanc ego, quantum ingeniolo aſſequi meo licuit, veram germanamque Tibi exhibere conatus ſum; num præſtiterim, tuum erit, qui tamdiu familiariterque ut collega, ut amico, ut medico illo uſus es, judicare.

Cur vero non elogium, ſed prolixum commentarium, brevitatis ſtu-

Digitized by Google

dioſis noſtris lectoribus fortaſſe moleſtum ſcribere maluerim, hanc maxime cauſam habui: brevitas quidem, etſi laudabilis; tamen, cum rerum copia longiuſculum requirit ſermonem, vitioſiſſima eſt. Elogii autem ſtilus poſtulat, ut ad laudem & gloriam omnia exigantur; adeoque ut alia exaggerentur; alia eleventur; nonnulla reticeantur; quædam etiam ex ingenio ſuppleantur. Ego vero cum ſemper veritati ſtudui; tum in Cl. Viri de me, de Patria, de Lyceo, de Litteris, deque noſtratibus medicis, egregie meriti vita deſcribenda, atque ut exemplo, ingenuæ medicæ juventuti ad imitandum proponenda, veritati unice religioſeque ſerviendum duxi. Cetera, Ampliſſime Præſul, qua es ſapientia & humanitate, per te cognoſces, & æqui bonique conſules. Vale, & Lycei Litterarumque bono diu vive. Neapoli Nonis Novembr. MDCCLXXXIIII.

ERUDITO HUMANOQUE LECTORI AUCTOR

QUamquam in typographicis corrigendis erratis maxima fuit a me adhibita cura; aliquot tamen oculos meos effugiſſe ſero tandem adverti; quæ ne tibi ſint offendiculo, hic in limine indicavi. Pag.83.l.8. ubi legitur: *idonea ſunt*, legendum eſt: *idonea deſcripta ſunt*. Quoties vero legis: *paulo*, *mœrore*, *unquam*, *nunquam*, *plerunque*, *chemia*, *chemici* (præterquam cum vox *chemia* ex Boerhaavio affertur) legeſis: *paullo*, *mærore*, *umquam*, *numquam*, *plerumque*, *chymia*, *chymici*. Pag. 160. l. 32. verba: *docto vero*, *ſagaci*, *&* *medicinæ perito nemini*, parentheſi claude. Pag. 162. l.10. *eo re futurum*, lege: *e rē futurum*. Si qua tibi alia occurrerint, per te corrigas, oro. Vale.

Digitized by Google

FRANCISCI SERAI

V I T A.

QUum illuſtrium Virorum facta & dicta incitamento legentibus ad imitandum eſſe ſolent; tum vero illorum facta & dicta legentium animos fortius permovent, qui legentibus ipſis aut ætate, aut communis patriæ caritate, aut ſimilitudine ſtudiorum, aut officiis, aut beneficiis notiores carioreſque fuere. Quæ cum mihi pene omnia cum Franciſco Serao, immortalis memoriæ viro, interceſſiſſe omnes, qui me illumque noverunt, ſciant; æquum putavi, ejus vitam ſigillatim diſtincteque a pueritia ad ultimam ætatem deſcribere, quo tanti viri memoria accurate poſteris mandaretur, una & gratus animus meus erga hominem de me egregie meritum, omnibus, qui-

Digitized by Google

bus ejus in me benevolentia, meique in illum obſervantia perſpecta fuerunt, teſtatus manifeſtusque foret.

Atque ut a natali loco exordiar, natus eſt Franciſcus Seraus in Campania anno MDCCII. XI. Kal. Octobr. in pago S. Cypriani, ad IV. fere ab urbe Averſa, ad XII. vero ab urbe Neapoli milliaria. Ejus parentes fuere Paulus Seraus ab antiquis pagi habitatoribus oriundus, & Hippolyta Furnia Averſana, probi cives, & qui, ut conditio ferebat ſua, rem habebant. Plures Paulo filios peperit Hippolyta; quorum tamen Hieronymus (qui natu major, & Averſanæ Eccleſiæ Canonicus fuit, & octogenario major, pietatis politioriſque omnis litteraturæ famam adeptus obiit) & Franciſcus, de quo ſermo eſt, vitales tantum fuere, aliorumque jacturam abunde compenſaturi, ſi parentibus diutius vivere contigiſſet. Quam vero ſuperſtites parentibus cari fuerint, ſupervacuum eſt dicere. Adhæc ea utrique cum corporis dignitas, tum ingenii præſtantia obtigit, ut quoſcumque vel ſemel alloquerentur, in amicitiam ſibi adjungerent. Qua in re Franciſcus ſeu natura, ſeu potius arte, fratrem ſuperabat, & matri carior erat. Ut primum autem per ætatem puerorum indolem noſſe licuit, natu majorem pater Averſam deduxit, ut in celeberrimo Sacro Ephebeo (Seminarium vulgo vocant) quod in ea urbe Innicus Caracciolus S.R.E. Cardinalis, ejus Eccleſiæ Epiſcopus, recens exſtruxerat, & undique optimis allectis præceptoribus ornaverat, quodque plurimos in ſacris humaniſque litteris egregios alumnos edide-

derat, ad religionem & litteras recte matureque inſtitueretur. Aliquot poſt annos, mirificis Hieronymi in pietate ac litteris progreſſibus patri & Antonio avunculo, Sacerdoti optimo & doctiſſimo, nuntiatis, Franciſcus Neapolim ab Antonio, ubi tum is commorabatur (non ſine matris mærore, cujus, ut mollior ſemper in filios animus eſt, ſic in minores molliſſimus) arceſſitur, & ad publicas Ieſuitarum (tum ſive jure, ſive injuria primas occupantium) ſcholas amandatur, ut eiſdem diſciplinis Neapoli erudiretur. Quod etſi paullo ſeverius patris & avunculi conſilium, liberis tamen ſalutare fuiſſe exitus declaravit: nam non multo poſt deceſſit pater, cujus morte & filiorum deſiderio longum in morbum mater implicatur, e quo relevari non potuit. Exinde factum eſt, ut Hieronymus, qui Eccleſiæ ſe dicaverat, & ſacris erat initiatus, doctoriſque munus cum laude in Seminario ſuſtinebat, ac neque vellet, neque poſſet ſe retexere, reique familiaris, quæ tota ex paterni fundi cultu fructibuſque pendebat, adminiſtrationem in ſe recipere; minorem fratrem jam ephebum, & in græcis latiniſque litteris mire proficientem, avunculi conſenſu domum ad matrem remiſerit, ut ejus luctum ſqualoremque minueret, & rei familiari, & agro, & operis præeſſet. Qui quamquam a litteris, quibus libentiſſime operam dabat, ſe abſtrahi, atque ad illiberale & odioſum munus ablegari ægerrime ferret; tamen matris amore, & fratris avunculique rationibus precibuſque victus, non gravate tempori rationique paruit. Mane vero, quemadmodum Neapoli aſſueverat, antequam luceſceret, & veſpere, ſta-

tim ac ruſtica opera intermittebantur, legebat, ſcribebatque. At cum ruri eſſe, & ruſticorum opera ſpectare & noſſe cogeretur, ex his ipſis quam poſſet liberaliſſimam voluptatem capere inſtituit. Cum igitur Virgilio & Cicerone in primis delectaretur, e re ipſi viſum fuit, Virgilium ab integro legere, & Georgica ſerio ac ſedulo commentari, ut ſimul agriculturæ præcepta a ſapientiſſimo vate, ſimul & rerum omnium ad agrorum cultum pertinentium latina nomina diſceret. Itaque ſenſim rei ruſticæ latinos ſcriptores (quorum ab avunculo, latinorum ſcriptorum idoneo judice, notitiam habuerat) ſibi comparavit, evolvitque; ac memoriæ gratia ſpiſſum ordinatumque commentarium vocum omnium rem ruſticam complectentium concinnavit, adjectis reſpondentibus, quæcumque noſſet, etruſcis, aut vernaculis vocabulis. Quod ei ad rem herbariam, & hiſtoriam naturalem, & medicinam, viam aperuiſſe crediderim. Præter hæc quicquid notatu dignum legebat, obſervabat, & audiebat, conjiciebat in adverſaria. Singulis autem hebdomadibus latinam epiſtolam, nec unquam ſine argumento, fratri dabat. Ciceronis autem adeo ſtudioſus erat, ut non modo ejus voces & locutionem unice adhiberet, ſed ordinem nexumque verborum imitaretur; ex quo ſuavis illa & fluens exiſtit oratio, qua inter Latinos Cicero, inter Etruſcos Boccatius eminuit. Quæ cum Hieronymus, qui in humanioribus juxta & ſeverioribus litteris Averſæ princeps habebatur, animadverteret; ejus ingenium, ad ſingula & latine accurateque reſpondens, alebat, ſperans

rans fore, ut aliquando egregiæ ſpei adoleſcens ad litteras revocaretur, eaſque illuſtraret. Interea vir prudentiſſimus diſtinebatur, certum deliberandi conſilium non cernens: ſiquidem matrem deſerere prorſus impium videbatur; rem vero familiarem aliis demandare inconſultiſſimum judicabat. Quamobrem eo res adducebatur, ut aut ipſe a Seminario abiret, & matris reique familiaris curam omnem ſuſciperet (quod ejus vitæ inſtituto adverſabatur) aut fratri domi manendum eſſet, quoad probabilis aliqua utrique incommodo occurrendi ratio eſſet oblata.

Inſequenti autem anno feliciter accidit, ut cum die quodam pomeridianis horis in agrum deambulatum Franciſcus proceſſiſſet, & comitis loco Ciceronis Tuſculanas ferens legeret, vocaretur magna voce. Reſiſtit adoleſcens, arrigit aures & circumſpicit; longe vero proſpicit ſenem ad ſe venientem, manuque ſignificantem, ut maneret. Adoleſcens vero revertitur, & obviam it, avunculumque agnoſcit, quocum Neapoli quatuor annos jucundiſſime vixerat, patre uſus amantiſſimo & ſedulo vigilanteque educatore. Salutat, dextram prehendit, & oſculatur; poſt ſubridens inquit: quæ te, mi avuncule, impulit cauſa, ut longo poſt intervallo ſororis tuæ lares liberoſque viſendos exiſtimaris? Quando id a me ſcire vis, dicam: vitæ meæ rationes cum Pauli patris tui rationibus nunquam congruerunt: nam ille rei augendæ ſtudioſiſſimus fuit, ego vero tuendæ tantum diligens fui: ille litteras neglexit; ego maximi feci ſemper, & facio: itaque,

 ſta-

ſtatim ac ejus animum moreſque perſpexi, ne moleſtus eſſem, diſparili ingenio hominem perraro viſendum putavi. Nec vero non ut ſororis meæ virum dilexi, & in ceteris vitæ partibus non laudavi: probus enim vir fuit, & frugi, & optimus paterfamilias. Illud autem peccavit, quod natu grandior uxorem duxit; unde, quamvis ſuo tempore obierit diem, liberos tamen teneræ ætatis, parentiſque cura adhuc indigentes reliquit. Tuum ergo eſt, mi avuncule, licet illum non amaveris, ſororis tamen liberos amare, tueri, monere, docere, & coercere. Tuum eſt, illius erga ſororis tuæ filios munus arripere, meque præſertim, qui ab jucundiſſimo litterarum ſtudio abductus, atque avulſus ſum, & veluti ſtipes ad glebam damnatus, tertium jam hic annum inter vetulæ imbecillæque matris curationem, & agri cultum, & mercenariorum operam exigendam detineor, ſublevare. Miſeret me quidem matris, meique amantiſſimæ; fratris voluntati inſtitutoque nolim adverſari: hoc tamen vitæ genus mihi & grave, & odioſum eſt. Ego vero, mi adoleſcens, ex tuæ vitæ ratione jamdiu cognoram, ruſticam hanc vitam tibi moleſtiæ & odio fore. Attamen, ut tute recte humaneque dixiſti, quid fiet matre tua vetula, vidua, infirma, tuique amantiſſima, ſi compererit, te hinc rurſum Neapolim demigrare, ſeque ſolam cum operis & mercenariis relinquere? Tu ejus delicium & ſolatium es. Quin illa, ut reſcivi, bene moratam & perplacentem virginem, uxorem tibi deſtinavit, quæ ſibi nepotes pariat, quibuſcum oblectetur, hilarioreſque poſtremos annos

tra-

traducat. Siquidem feminas, ut ad gignendum potiſſimum comparatas natura eſſe voluit; ita non alius rei magis ſollicitas deprehendimus, quam filiorum nepotumque. Hac re una excepta, reliqua plana & expedita ſunt omnia. Mane igitur, perfer, aliquid interea accidet, quod tibi honeſtam hinc Neapolim abeundi cauſam ſuppeditabit. In me te fratremque tuum recipio. Bono animo es. Quæ ut Franciſcus audivit, præ lætitia flens, avunculi dextram prehendit, deoſculatur, ſingularibus verbis ei gratias agit, longamque ſenectam, & vegetam mentem, & firmam valetudinem ominatur. Debilitatur gaudio ſenex, ſed abrupto ſermone ſe confirmat. Sat eſt, inquit. Liber vero, quem tecum fers, cujus auctoris eſt? Et ille: ſume & vide. Sumit ille, & legit: M. T. C. Tuſculanarum Quæſtionum Libri V. Papæ! Hos tu libros hac ætate legis? Quidni? reſpondet. Num ſanam doctrinam non continent; an vero captui meo non ſunt accommodati? Neutrum vero, mi adoleſcens. Eo autem dixi, quia miratus ſum, te hac ætate libris hiſce, qui nimis ſerii, ſeverique ſunt, delectari. Adoleſcentes enim eos maxime libros expetunt, qui ludicra, poetica, & amatoria tractant. Itaque tibi gratulor, ſanam tibi mentem obtigiſſe. Velim tamen ſcias, hos & ceteros philoſophicos libros tum Ciceronem ſcripſiſse, cum ingraveſcente ætate, everſaque republica, auctoritatem, qua, ſtante illa, floruerat, amiſerat. Tum, inquam, ne otio marceſceret, ad philoſophiæ portum, ut ipſemet inquit, ſe contulit, & philoſophiam Romanorum primus

illuſtravit, & ſuæ civitati ſalutaribus ejus præceptis prodeſſe ſtuduit. Laudo, inquam, te hac ætate ſenilia hæc ſtudia ſequi. Vereor tantum, ne ingenium tuum natura ſubtriſte, his accedentibus ſtudiis, aſperius fiat. Utut eſt, in hanc partem te peccare levius puto, modo rationem adhibeas, quæ humanitate ſeveritatem temperet. Sed jam adveſperaſcit, & veſpertinus aer mihi gravedinem creat. Vale igitur, & poſthac te mihi lætiorem præbeas. Revera autem, ut ſenex advertit, Franciſcus ad melancholiam vergebat. Nam erat taciturnus, lentus, meditabundus, prudens, officioſus, ad riſum minime comparatus, & omnium, quæcumque legeret, vel audiret, memoriam retinebat. Quod animi temperamentum a corporis conſtitutione non abhorrebat: namque fuſco erat colore, nigris oculis, voce paulo aſperiore, corpore pinguiore, tardiore inceſſu, atque ad iram proclivior; quamquam ita ſe virtute coercebat, ut tantum intimiores amici ex vultu & ſilentio triſtitiam iramve noſcerent.

Ac ne ſingulatim omnia perſequar, avunculus, qui adoleſcentis præclaram indolem Neapoli detexerat, mirumque in litteris progreſſum (ſtudioſiſſimus ipſe litterarum) providebat, angebatur animo, adoleſcentem tanto ingenio præditum, propter pietatem adverſus matrem, & rei familiaris adminiſtrationem, a litteris repelli, quas deperibat. Ne vero rei difficultate abſterritus, adoleſcentis patrocinium deſereret, ejus matrem frequentius, quam conſueverat, adire conſtituit, operam qualemcumque ſuam ei pariter ac filio, ut ejus animum facilius flecteret, pollicen-

do.

do. Quod poſtquam ei gratum intellexit, filii præſtans ingenium, prout erat, identidem laudare cœpit, affirmans litteris, non rei ruſticæ natum eſſe: ut ſi Neapolim ei demigrandi facultas eſſet, ad ſummum litteraturæ faſtigium foret perventurus. Verum ea pietate ac benevolentia erga ipſam eſſe, ut nullo pacto ipſius commoda utilitatibus fortuniſque ſuis poſthabiturus eſſet. Nam pluries ſerioque cum ſuæ ætatis conditioniſque adoleſcentibus in familiari ſermone illum dixiſſe, ſibi relatum eſſe teſtabatur, malle ſe domi obſcuram ruſticamque vitam vivere, quam optima, eaque ſui amantiſſima relicta matre, Neapoli ad litterarum vel maximam gloriam provehi. Quæ cum audiret mater, præ lætitia exultabat, & lacrimas affatim effundebat. Hoc pacto ſenex paulatim ejus animum ad filii miſerationem inflectens, eo perduxit, ut ſagax ceteroquin mulier tandem dixerit, ægre ſe quidem ferre, filium a ſe divelli, ſui amantiſſimum, modeſtum, comem, & frugi; moleſtius tamen laturam, ſua cauſa tantæ ſpei adoleſcentem inter paganos vitam ducere. Quare Neapolim concederet, litteris ſedulo vacaret, rem nomenque augeret: ſe ſcire filios non unis parentibus, ſed univerſis hominibus naſci. Sibi vero ſatis eſſe, ſi filium edidiſſet, qui litteris moribuſque ſeſe & patriam illuſtraret. Ceterum locorum vicinia fieri poſſe, ut ſingulis diebus litteræ, vel nuntii mitterentur, quibus alter alterius certior fieret. Adhæc, animi gratia, diebus feſtis & ferialibus volupe fore adoleſcenti nativam ſedem & domum repetere, matrem reviſere, alloqui, jucun-

cundiſque narrationibus hilarare; unaque rei familiaris rationes exquirere ipſi liberum & utile futurum. Quæ cum inter matrem & avunculum, abſente ignaroque Franciſco, agitarentur, ex inſperato, ut quidem mater credidit, ſed ex compoſito, ut ſenex conſcius erat (quippe qui totius conſilii auctor fuerat, quo, junctis operis, citius certiuſque res perficeretur) Averſa venit Hieronymus, cujus adventu mater & avunculus magnopere lætati ſunt: diutule namque domo & patria aberat. Abrupto igitur ſermone, mutuo de valetudine, ut mos eſt, primò, deinde aliis etiam de rebus ſeſe interrogarunt. Poſt de fratre Hieronymus quærit. Mater autem totius artificii inſciens, reſpondit, in agro eſſe, & operis inſtare: ſedulum enim adoleſcentem eſſe, & ſive ſeria, ſive ludicra ageret, (quamvis perraro ludicra) ſtudioſe diligenterque facere. Illum vero neſciſse fratris adventum; ideoque de more exiviſſe in agrum non tam deambulatum, quam ut operis præeſſet, quæ, abſente domino, cantiunculis, fabelliſque diem abſumunt. Laudo, inquit Hieronymus, fratris ingenium: nolim tamen tam ſedulo operis inſtare. Quid ita? inquit mater: quia, ut cura ſtudioque fratris ſeduliores fiunt operæ; ita vereor, ne viciſſim frater ſenſim operarum deſidiæ aſſueſcens, ſegnior molliorque fiat. Recte vero, reſpondit ſenex, vereris Hieronyme. Attamen hæc, pace tua, fratri potius, quam matri dixiſſe oportebat. Immo, inquit mater, mihi rectius dicenda fuerunt, ut ſciam, quæ illum admoneam, quoad hic mecum manſurus eſt. Quid vero, mater, ſignificant illa verba: quo-
ad

ad hic mecum manſurus eſt? An tibi minus obſequens frater eſt? Minime vero, quin adeo obſequens atque obtemperans eſt, ut non modo expreſſæ voluntati meæ ſatisfacere, ſed inclinationi etiam obſcuræ occurrere ſatagat. Gaudeo, mater, impenſe; ſimul ne a te adoleſcentem tam pio bonoque ingenio abire ſinas, te ſerio & hortor & obſecro. Ita, mi Hieronyme, conſtitueram, eique uxorem quoque delegeram optimis parentibus prognatam, eductam probe, liberalique forma. Ex quo tamen tum ab avunculo tuo, viro ſagaciſſimo, & tui & illius amantiſſimo; tum ex eis, quæ ipſa obſervaram, illius ingenium ad litteras mirifice factum eſſe novi, conſilium mutavi: haud enim rectum mihi viſum eſt, utilitatis voluptatiſque meæ cauſa, præclaræ indolis adoleſcentem, hic inter ruſticorum incondita & aſpera ingenia obrui & corrumpi. Sapienter tu quidem & ſentis & loqueris Hippolyta, ei reſpondit ſenex; hoc amplius: quod magna ingenia ſi per vim ab eis ſtudiis avocentur, ad quæ natura feruntur, plerumque ita degenerant, ut quantum laudis meruiſſent, ſi naturæ fuiſſent obſecuta, tantum turpitudinis incurrant, a naturali propenſione abducta. Bona verba, quæſo, avuncule: tam indocile fratris ingenium putas, ut niſi litteris totum ſe dedat, neceſſario in pravitatem immanitatemque prolabatur? Ah nimis in utramque partem vehemens es avuncule! Tu vero, mi fili (ſic enim te appellare debeo) nimis preſſe mea verba interpretaris: neceſſe quidem non eſt, ut id ſequatur, quod plerumque ſequi ſolet;

pru-

prudentis tamen hominis eſt, in rebus dubiis tutiorem partem amplecti. Omen id Deus avertat a fratre tuo. At ego tibi dico, adoleſcentem hic triſtem vivere, etſi pietate erga matrem, & caritate erga te, ſibimet imperat, & mœroris, doloriſque animi ſui nihil indicat. Præterea ſeveræ indolis mihi videtur adoleſcens, & ab omni hilaritate alieniſſimus. Atque id genus ingenia, ut ad litteras in primis apta ſunt, ita ſi a litteris, quæ naturæ feritatem edomant, ad ruſticam vitam, quæ feritatem & alit & auget, traducantur, quid conſequi, ſi non ſemper, utplurimum vero ſolitum ſit, Hieronyme, tute dijudica. Matris tuæ ſententiam probo. Ceterum tu & mater tua, quod rectius fuerit, videritis. Atqui, reſpondit mater, mea ſententia mihi magis arridet, quia tibi probatur. A te vero Hieronyme, qui fratris ingenium docile, humanum, pium, meique amantiſſimum, quale mihi etiam videtur, putas, quæro: amatne litteras frater, ut avunculus ait tuus, & ego, ex quo huc Neapoli rediit, obſervavi? Sanequam mater, & reluctante animo Neapoli huc reverſus eſt. Sed non inde. Quid non inde, mihi Hieronyme objectas? Ego jam ætate ac valetudine ſum affecta, & fatum opperior, neque aut mihi blandiri, aut tibi fratrique tuo male conſulere queo. Ego quidem & Averſæ, ubi nata, atque educta ſum, & in hoc pago, in quo jam vitam exegi, obſervatum habeo, perraro adoleſcentes a parentibus alia, quam quæ ipſorum naturæ conveniebant, diſcere & profiteri coactos, felicem exitum habuiſſe. Fratrem tuum per omnia mihi obſequi,

& pla-

& placere, & ſatisfacere dixi, atque confirmo & teſtor. Nunquam vero hilarem video, ut mihi potius obediens famulus, quam amans filius morem gerere videatur. Novitius mihi Patrum Societatis videtur, nimirum modeſtus, terram ſpectans, junctis ad pectus manibus, obtorto collo, taciturnus, pudens, officioſus. Hæc quamquam prima fronte laudabilia optabiliaque videantur; mihi tamen, niſi me ætas & valitudo anxiam & ſuſpicioſam faciunt, artificioſa, atque adeo ficta videntur & ſimulata. Quapropter avunculi tui ſententiam ex toto amplectendam, ſequendamque cenſeo. Jam peroraſti mater, & ſapienter eloquenterque decreviſti, ſic ut tibi judices tantum & corona defuerint. Quæ tu, Hippolyta, advertiſti, inquit ſenex, ipſe quoque notavi: ſed ne tibi cetera optimum, hoc uno difficilem, filium deſcriberem, ſilentio præterii. Nunc vero, cum ea tibi perſpecta intelligam, infitiari non debeo. Nempe conclamatum eſt, inquit Hieronymus: nam judices in eandem ſententiam univerſi conceſſerunt. Recte vos quidem; ſed adoleſcens, cujus cauſam judicaſtis, ſaltem audiendus eſt. Certe quidem audiendus eſt, ut ejus voluntas accuratius inquiratur, mater & ſenex uno tempore dixerunt. Hora vero reditionis domum prope abeſt: impendet enim æris ictus, meridiem & prandendi tempus denotans. Reliqui vero quicquid eſt, vos, inquit ſenex, videtote. Cum definitum concluſumque fuerit, me certiorem facite, ut meum quoque calculum adjungam. Quo vero tu abis, frater? inquit Hippolyta (nam poſt Pauli mei, quanti viri! fata, te fratris patriſque loco

& amo & colo): cur nobiſcum non prandes? Ad veterem amicum hujus viciniæ, Hippolyta, ſorore & filia mihi carior, qui me, neſcio quid utrique noſtrum ſcitu utile, mecum communicaturus, ad prandium invitavit. Atque is tui & Hieronymi amiciſſimus eſt. Jam, avuncule, qui ſit, reſpondit Hieronymus, teneo. Ergo vale, Hippolyta & Hieronymus ei dixerunt. Et vos quoque. Digreſſo vix ſene, ecce tibi ſe domum recipit adoleſcens, qui, ut fratrem adſpexit (initi enim inter avunculum & fratrem conſilii ignarus erat) timuit, ne quid forte ſuæ ab ruſtica vita averſionis ei ſuboluiſſet; neve ob id ſui objurgandi cauſa veniſſet. Fratris autem hilari amœnoque vultu conſpecto, timorem depoſuit; & quid novi Averſa afferret, & num ſtrenue, ut olim (velut ab avunculo audierat) adoleſcentes in Seminario in græcas latinaſque litteras incumberent, interrogat. Quibus cum accurate Hieronymus reſpondiſſet, ſubridens dixit: tu vero, mi frater, quid habes in manibus, quidve novi meditaris? nam ex litteris, quas mihi ſcripſiſti, nunquam te quieſcere, vel otioſum eſſe intelligo. Præterea frequentem agri viſendi occaſionem, tibi materiam ſuppeditaſſe ingenio excolendo erudiendoque ita tibi gratulor, ut quodammodo invideam. Te mihi gratulari, frater, certus ſum, invidere non item. Nam quod libenti animo fit, id gratum jucundumque eſt, quamquam laborem afferat; quod vero invito fit animo, etiamſi per ſe amœniſſimum videatur, odioſum tamen & grave eſt. Ac ſi revera hanc mihi vitam invides, invidia te liberatum volo. Quo pacto? reſpondet Hiero-

ronymus. Et ille: permutemus, inquit. Adeo ne tibi inſuave, videtur Franciſce, domi tuæ una cum tui amantiſſima, indulgentiſſimaque matre, obnoxium nemini, paterni fundi non adminiſtratorem, ſed promum condum vivere? Falleris, optime frater, ſi me tam inhumanum, tamque vecordem putas, qui pietatis erga parentem, deque me ſingulariter meritam oblitus, & meorum commodorum negligens ſim. Tibi, qui me prope beatum eſſe dixiſti, ut etiam inviderem, tantum reſpondi. Ceterum pietas jubet, res familiaris hortatur, me hic manere; quod, ut vides, facio & ſine querela, pietate utilitateque adductus, non voluntate, quæ me ad litteras revocat. Hæc namque liberior ruſtica vita, quæ a philoſophis, poetis, regibus, ceteriſque rerum pertæſis tantopere laudatur, mihi non placet. Nam niſi te doctiſſimum fratrem haberem, cui darem, & a quo acciperem litteras; nemo hic eſſet, quicum loqui poſſem. Num iſthæc tibi optanda, & vero invidenda videtur vita? Eſt ſane, frater, ut dicis: nam tibi, qui litterarum amore flagras, ſordent cetera: mihi vero, cui nec diſplicent litteræ, nec vita urbana magnopere cordi eſt; rus, delicia, amor, & regnum eſt. Itaque ut meminiſſe debes, vere & autumno, Seminario & litteris valedico, meque vel in pago hoc patrio, vel in alio campeſtri loco, ad ruſticam vitam refero; ex qua habitior hilariorque ad meum litterarium munus penſumque redeo. Tu vero, mi frater, quanti valetudo roburque corporis ſit, haud tecum ſatis reputaſti. At ſi in memoriam tibi redigas,

quam

quam huc Neapoli eneſtus adveneris, & quam hic nunc plenus factus ſis, ruri & ruſticæ vitæ deſines maledicere. Satis vero, inquit mater, ſive ſerio, ſive jocoſe, ſuam quiſque ſententiam tutatus eſt. Diſputandi hic eſto finis: nam mulier indocta, domeſticiſque curis & ab ineunte ætate addicta, & aſſueta, tum ætate & valitudine affecta, ecquid voluptatis ex tricis cavilliſque veſtris hiſce grammaticalibus percipiet? Parata menſa eſt, accumbamus, & quod diei reſtat, dis benevolentibus, hilariter traducamus. Surgunt, illoque abeunt, ubi jam epulis exſtructa erat menſa: diſcumbunt, & media inter filios ſe locat mater, quæ modo hunc, modo illum reſpiciens, oculos eorum magis aſpectu paſcebat, quam cibis explebat famem; ſecum reputans, utroque brevi ſe carituram. Hieronymus identidem multa ex matre ſciſcitabatur de affinibus, propinquis, & amicis; viciſſimque ipſum mater de Averſæ moribus, luxu, ludis, tum de Furniorum gente ſua percunctabatur. Franciſcus vero oculis in lancem conjectis, totus erat in comedendo. Quod cum Hieronymus advertiſſet, matri dixit: mutum convivam habemus; qui memor, puto, latini proverbii, agit quod agit. Et ille, vultu triſti, an ridente, incertum, reſpondit: ſatis, antequam ad menſam acceſſimus, me locutum eſſe arbitror; nunc locus hic poſtulat, ut ventri obſequamur, & vere linguæ faveamus. Riſit Hieronymus; mater vero ſeverum illius ingenium penitius pernovit. Tum Hieronymus poculo vini pleno aſſumpto, tibi, frater, propino, inquit. Et ille viciſſim fratri

ſub-

ſubiratus propinavit. Eapropter Hieronymus fratris acerbitate detecta, ab jocis abſtinuit, & cum matre ſubinde reliquo menſæ tempore loqui perrexit. Hic autem menſæ fuit finis. Mater ſurrexit primo, poſt filii. Et illa cubitum ire velle dixit: ipſi facerent, quod ſibi videretur. Eamus, inquit Hieronymus, ſi placet, in viridiarium. Ut lubet, reſpondet alter. Et rurſum Hieronymus: niſi fallor, lexicon te concinnaſſe mihi in mentem venit vocum omnium latinarum ad rem ruſticam pertinentium. Maxime, inquit ille, ſed affectum verius, quam abſolutum. Nam nec ſatis librorum mihi ſuppetit, neque illorum, quos habeo, ſatis caſtigata eſt editio. Itaque ſæpe hærere cogor. At vero, inquit Hieronymus, litterarum inſtauratores non magna librorum ſupellectile, neque noſtris hiſce nitidiſſimis editionibus, neque tot eruditorum hominum auctariis, criticiſque adnotationibus, & rerum verborumque indicibus refertiſſimis utebantur. Non librorum copia, ſed optimorum auctorum ſedula lectio doctos lectores efcit. Multos novi magnis bibliothecis præditos, qui nihil plane ſcirent. Verumtamen quidquid hoc mali eſt, perleve eſt: aut enim hic conſiſtes, & librorum copia a me ad ſatietatem uſque ornabere, aut Neapolim te conferes, & ſine impenſa, locupletiſſimæ tibi patebunt bibliothecæ. Interea tamen dum hic manes, quæ occœpiſti, perfice. Me tibi amiciorem neminem putato. Acerbitas, quæ ceteras animi tui præclaras dotes nonnihil obſcurat, Franciſce, tibi eſt omni ſtudio demulcenda. Hoc tibi pro fraterna caritate

dictum volui. Si quid aliud a me vis, ſcribe: nunc enim ad avunculum ire me oportet; qui, antequam domum te referres, mei viſendi, matriſque ſalutandi cauſa, venit ad nos, teque mihi & matri impenſiſſime commendavit. Quem ego, ſi quid mea, non tam auctoritas (quam inter fratres perexiguam eſſe video) quam benevolentia valet, a te coli & obſervari velim; multum enim ille te conſilio ac re juvare poteſt. Vale, meque præſtolare: nam paulo poſt revertar, ut matri ac tibi ſalutem & vale dicam, Averſamque ad munus domiciliumque meum revertar. Quin, reſpondit, ad avunculum ego quoque. Ut vis; ſed præſtat domum repetas, ut matri, cum evigilabit, adſis, meque avunculum ſalutatum iſſe dicas, indeque ad vos rediturum. Recte: maneo. Conſulto tamen Hieronymus ſeorſum a fratre cum avunculo colloqui volebat, ne quod inter ipſum & illum ſecreto convenerat, pateret adoleſcenti, & evaneſceret. Adit igitur avunculum, quocum conſilium iniverat, eique refert omnia, quae ante prandium, & inter prandendum, præſente matre, & poſtea, abſente matre, inter deambulandum dicta, atque detecta fuerant de fratris ingenio & matris deliberatione. Quamobrem ſtatuerunt, matri ſuadere, ut Franciſcus de ipſius matris voluntate Neapolim amandaretur. Quod ſenex, ut celeriter fieret (jam enim adoleſcentiæ fines attingebat) ſe curaturum Hieronymo pollicetur. Qua is ſpe ſublatus, avunculo gratias agit & ambo ad Hippolytam redeunt, quam triſtiorem, quam reliquerant, cum Franciſco offen-

den-

dentes, conſolantur, ſeque illam frequentius viſitaturos promittentes, exhilarant excitantque. Itaque matrem filio, & filium matri commendantes, utrique valedicunt, & Averſam revertuntur.

Ab eo autem die avunculus dedita opera Hippolytam ſororem ſæpius convenire, & de Franciſco curioſius interrogare cœpit. Quod illa non de nihilo eſſe animadvertens, ei tandem dicit: aut ego fallor, aut hic monſtri quid alitur. Nam tu, frater, neque mei cum Paulus viveret, neque filiorum ejus ſtudioſus unquam fuiſti; nunc vero illorum meique ſollicitum factum eſſe non injuria miror. Haud recte, ſoror, miraris; peſſime vero hic doli quid ſubeſſe ſuſpicaris. Nullum namque inter me & Paulum, quoad ille vixit, jurgium, nullamque aut querelam, aut diſſenſionem unquam fuiſſe, vel tu teſtari potes: diſcors tantum muneris vitæque ratio, & domicilii diſtantia me coegerunt, ut raro ad vos venirem, voſque ad me rarius; animo tamen & benevolentia, æque ut ſanguine, vobiſcum conjunctiſſimus fui. Quin meminiſſe debes, Hippolyta, vivente ac valente Paulo tuo, Franciſcum ultro a me Neapolim arceſſitum, ibique mecum quatuor annos perſtitiſſe, & litteris ſtrenue vacaſſe. Falleris, inquam; niſi te adverſa valitudo & mœror diutinus de recta rationis ſemita, quod nolim, deduxerunt. Nunc vero cum te viduam, atque ætate, & valitudine affecta intuear, ſuperſtitumque filiorum alterum in Averſano Seminario ſedem ſuam collocaſſe, alterum hic domeſticis ruſticiſque negotiis implicatum, ad quæ mi-

minime natus videtur, magnum ingenium & pulcherrimam ætatem miſerrime conſumere; meas partes eſſe putavi, me tibi ſubſidio venire, & operam qualemcumque meam præſtare, quo te ſolitudine mœroreque liberarem, & filio aptiorem liberalioremque occupationem darem. Quare niſi mea tibi convictio gravis eſt, rogo, ut vel tu Averſam ad tuos remigres, vel hic ego tecum conſidero: ita & alloquio & auxilio conſilioque tuorum lætius vives. Tu modo, niſi aliter cenſeas, elige. Eo nimirum tua, frater, tendit ſatis & longa, & acerba oratio, ut adoleſcens, qui non libenter hic mecum vivit, Neapolim abeat, me ſinente, ac etiam jubente, & litteris, quarum ſtudio unice capitur, ſeſe dedat; ſuoque genio indulgeat. Id vero ſatis per me faciundum eſſe præceperam, tibique non obſcure in alio colloquio indicaveram. Sed non adeo præcipitem caſum hunc eſſe putaram, ut ei quam celerrime occurrendum foret. Quoniam vero tibi, qui ætate, doctrina, conſilio, rerumque uſu longe me antecellis, præſens & urgens videtur, diſcedat me ſinente, jubente, atque cogente. Ego curabo, ut a linteis laneiſque veſtibus ornatus ſit; tu cetera, quæ opus eſſe poſſint adoleſcenti e patria domoque in magnam urbem proficiſcenti, in eaque diu permanſuro, comparabis. Et hæc, & ſiqua ei alia opus fuerint, ipſe curabo & comparabo. Atque ut animo lætiore filium dimittas, mecum ipſum Neapolim deducam, & cum illo degam, quoad adoleſcens, per ſe ſibi conſulere poterit; tum doctorem eligam, a quo amanter diligenterque erudiatur; deinde

inde honeſtis viris, quorum non paucos illic amicos habeo, ſiſtam, deque meliore nota commendabo; denique probos adoleſcentes, quibuſcum tuto agat, reperiam.

Quibus ille præſidiis ſubſidiiſque adjutus & cuſtoditus, haud facile delirabit. Ac ſi quid præterita futurorum indicant, de virtutis via Franciſcus non declinabit. Eo namque tempore, quod quatuor ferme annorum fuiſſe memini, quo mecum Neapoli commoratus eſt, ſic modeſte, ſobrie, patienterque ſe geſſit, ut mihi ſenis ſapientiſſimi ſpeciem exhibuerit. Num vero provectior ætas illum immutatura ſit, quis certo prædixerit? Ut autem ſe dant initia, felicia quoque futura ſunt reliqua vitæ ſtadia. Identidem quoque Neapolim ibo, ut viſam, moneam, exhorter, excitem, coerceam, prout res poſtulabit. Scias tamen, ſoror, Neapolim, Romam, & magnas quaſque urbes vitiis virtutibuſque ſic affluere; ut qui pravo ingenio ſunt, praviores; qui bono meliores fiant. Quare cum noſter modeſto, gravi, ad triſtitiam, quam ad hilaritatem procliviore, & litterarum cupidiſſimo ſit ingenio, haud dubitandum eſt, quin in litteris pariter & moribus Neapoli ſit profecturus. Id quidem, inquit illa, frater, ſcite ac recte ominaris; ideoque a me leviori moleſtia divelli patior. Sed quo libentius adoleſcens paternam domum, meque, quam magnopere veretur, & diligit, deſerat, conſilii noſtri certiorem fac Hieronymum, ut huc ſtatim convolet, unaque omnes adoleſcentem voti participem compotemque faciamus. Hippolytam laudavit frater, ſapientem matrem vocans, & filiorum vere amantiſſimam.

 Po-

Poſtridie igitur venit Hieronymus, omneſque lautioribus epulis ab Hippolyta excepti, tanti gaudii ignarum adoleſcentem jocis, facetiiſque paulatim condocefaciunt. Poſtremo cum menſæ finis approperaret, ſic mater ſerio vultu adoleſcentem alloquitur: tandem, Franciſce, optata jamdiu tibi dies advenit: tua enim erga me conſtans obſervantia dignum ingenio tuo poſtulat præmium: quod ego, præſentibus avunculo tuo, viro graviſſimo, fratreque tuo, vel libentiſſimo animo, tibi perſolvo. Hic te inter domeſticas ruſticaſque curas tempus, ingenium, ætatiſque florem abſumere, pergrave mihi eſt. Quare te Neapolim abire volo, quo litteris ſedulo vaces, animoque tuo liberius obſequaris. Quod etſi tibi jucundiſſimum eſſe debet, non levi tamen mei deſerendæ dolore inficitur. Sicut autem ego, cujus, ut matris, intenſior amor eſt, tuis commodis fortuniſque victa, mihimet impero dolorique fortiter reſiſto; ita te, qui vir es, vel meo exemplo, dolori tuo parcere oportet. Nec vero me deſeris: ſiquidem mente animoque tecum Neapoli diu noctuque adero; idem, credo, tu quoque facies. Itaque te mihi præſentem ſiſtam, tuque me tibi pariter in memoriam revocabis. Hoc pacto mœror ac deſiderium lenietur; amor vero, quem ſatietate quadam deterit præſentia, deſiderio exaugebitur. Ad hæc Franciſcus flebiliter & ſingultim: mater, tot me amoris, virtutis, ſapientiæque argumentis obruis, devinciſque, ut, quid tibi reſpondeam, neſciam. Velim tamen tui ſimilem eſſe poſſe. Fateor quidem (nam qui tibi adeo ſagaci negem?) me hujus vitæ pertæſum,

Nea-

Neapolim redire optaſſe, ut in litteratiſſima civitate, bonarum artium litterarumque ſtudiis totum me dederem, & cum eruditiſſimis viris ætatem agerem. Nunc vero cum te mei vere amantiſſimam, ſapientiaque & virtute tanta præditam perſpiciam, quanta ne in conſummatiſſimo quidem optimoque philoſopho facile reperitur, ſententiam muto, meque tecum beatiorem vitam ducturum intelligo, quam Neapoli cum omnibus bibliothecis, doctiſſimorumque hominum lectiſſimo cœtu. Non recte, fili, putas: nam quorſum, me, & avunculo hoc tuo exſtinctis, ingenium tuum erupturum ſit, timeo: magna ingenia niſi litteris excolantur & manſueſiant, in peſſima quæque deflectunt. Ego Averſam hoc pago longe illuſtriorem, & parentes, fratres, ſorores, dulciſſima capita, Pauli mei, patris tui, cauſa, reliqui. I fili, teque litteris trade. I, avunculus, & frater elata voce ter dicunt. Tum avunculus: mecum Neapolim redibis, meque ducem, comitem, ſociumque habebis, quoad neceſſe fuerit. Subinde frater quoque te viſet. Matri nihil deerit: communis namque mihi & ipſi domus erit & voluntas; frater diebus ferialibus huc ad matrem concedet, tuque, cum vacui ab ſchola dies erunt, ad matrem remeabis. Quanta tum voluptate utrique perfundemini! I, omnes una voce dicunt. Victus tandem adoleſcens inquit: mater ſi antehac Neapolim ire geſtiebam; nunc, ut tuæ voluntati paream, avunculoque, & fratri (qui meam, ut jure nunc conjicio, apud te cauſam prudenter ſtudioſeque agentes, a te impetrarunt, ut Neapolim proficiſcerer) obſequar, illuc invitus abeo.

eo. Attamen non modo cum legitime feriari licebit, ſed quotieſcunque aut tui deſiderio, aut valetudinis incommodo, aut urbis tædio me affici ſenſero, huc ad te recurram. Quin ſi vel urbani mores, vel quicquid aliud intervenerit, quod naturæ meæ minus conſentaneum ſit, Neapoli, litteris, litteratiſque viris renuntiabo, meque in patriam referam. Quibus dictis auditiſque, nihilominus diſceſſionis conſilium confirmatur. Ac prima hæc Franciſci vitæ pars, e qua cum ingenium ejus perſpici, tum progreſſus fortunaque prænoſci poterant, quamquam paulo longius explicata, diſtincte fideliterque fuit exponenda. Hinc enim palam fit, jure illi exiſtimationem, famamque obtigiſſe, quibus & in patria, & apud externos cultiores populos ad ſupremum vitæ diem fruitus eſt. Tametſi minima quæque in illuſtrium virorum vita, ut ſcitu jucunda, ſic legenti documento ſunt. Quis enim ex tot difficultatibus, quas noſter & in pueritia & in adoleſcentia exſorbuit, non maximam ejus virtutem & conſtantiam, ut optatam litterarii curſus metam contingeret, intelligit?

Itaque ſecundum Neapolim ab avunculo deducitur, rurſumque viſu ſcituque digna edocetur; poſt viros doctrina, auctoritateque primarios, quibus tum civitas ornabatur, illo demonſtrante, de facie noſcit. Florebant tum vero Lyceum, Curia, Seminarium, ut cum maxime. In Lyceo docebant Lucas Antonius Portius, Lucas Tozzius, Dominicus Auliſius, Nicolaus Capaſſus, Nicolaus Cyrillus, Gregorius Meſſerius, Auguſtinus Arianus, Joannes Baptiſta Vicus, ut ceteros

teros præteream : in Foro Cajetanus Argentius, Carolus Antonius Roſa, Vincentius Mirus, Xaverius Panſutus, Thomas Mazzaccara, Flavius Gurgus, Conſtantinus Grimaldus, Horatius Roccus, pluresque alii civilis pontificiique juris callentiſſimi ſenatores, multique doctrina eloquentiaque inſignes patroni; quorum nonnulli univerſam ſacræ profanæque hiſtoriæ ſcientiam cum eruditione conjungebant (nondum enim pravus mos invaluerat, e compendiis lexiciſque nuperorum, neglectis fontibus, eruditionem ſcientiaſque diſcere): in Seminario præſes (rectorem vocant) erat Carolus Majellus, Alexii Symmachi Mazochii tum juvenis (qui poſtmodo Canonicus Neapolitanus & S. Scr. regius interpres fuit, & noſtri amiciſſimus collega) laudator fautorque ſummus. Eodemque tempore inter ſacros oratores excellebat Bernardus Iacchus; inter eruditos vero Abas Mirus Benedictinus, Alexander Riccardus, Franciſcus Galluppus, Matthæus Aegyptius, Petrus Iannonius, Marcus Mundus, & alii, quos longum eſſet omnes recenſere. Florebant etiam id ætatis in privatis academiis juvenum concertationes poeticæ, oratoriæ, philologicæ, eccleſiaſticæ. Nemo tamen ſatis doctus tum habebatur, qui græca cum latinis etruſciſque non belle copularet. Tum quidem, ne huic ætati injurius videar, mathematica & phyſica temperatius, ceteræ vero diſciplinæ fervidius excolebantur. Nunc humanioribus litteris, hiſtoriæ, philologiæ, juriſprudentiæ, theologiæ; veterique medicinæ nuntius remiſſus eſt, & unius mathematicæ phyſicæque experimentalis ſtudio juventus

alli-

allicitur, & geometricis tantum notionibus & vocabulis (perperam inconditeque uſurpatis) unice alitur, delectaturque. Itaque factum eſt, ut in ipſomet lyceo ſint, qui italice dictent; cum olim, ad Franciſci ætatem uſque, vel italice explicare turpe duceretur. Horum utrum deterius ſit, lector dijudicet. Nunc quidem ſilet eloquentia, poeſis, eruditio, communiſque ſenſus ipſe maximopere periclitatur.

Franciſci ætate cathedrarii publicis commiſſionibus creabantur, quo ſane inſtituto excitabantur ad liberalia ſtudia adoleſcentes; quoque antiquo petitionis more, Dominicum Auliſium (longe maximum Neapolitani Gymnaſii ornamentum) memoratoſque alios magni nominis profeſſores ad hæc fere tempora, quos inter Blaſium Troyſium, Nicolaum, & Petrum Martinum, Dominicum Gentilem, Joſephum Cyrillum, Franciſcum Rapollam, Joachimum Poetam, Antonium Fuſcum, noſtrumque Franciſcum Seraum habuit lyceum. Quem ultimum, annos natum octo & quadraginta, ego publice pro ſuprema *practicæ*, uti nunc barbare vocant, medicinæ cathedra, juvenili animi præſentia, ſubactaque doctrina & eloquentia decertantem vidi & auſcultavi. Non negaverim tamen, clariſſimos etiam profeſſores & olim fuiſſe, & nunc eſſe in lyceo, qui nullam ingenii memoriæque periclitationem ſubierint; quos, quia notiſſimi ſunt, nominare non eſt neceſſe. Verumtamen id genus profeſſores (in quo cenſu fuerunt Marius Lama, Marcellus Papinianus Cuſanus, Joannes Baptiſta Lambertus, Januarius Xiſtus, & hodie ſunt Felix

Sa-

Sabatellius, Januarius Vicus, Nicolaus Ignarra & alii, quorumque fuit coryphæus Alexius Symmachus Mazochius, Auliſio æquiperandus) quibus recte cathedrarium munus, ſine ulla extemporali publicaque prælectione, committatur, perpauci ſunt. Quin fieri poteſt, ut doctiſſimi erudititiſſimique viri, qui ſcribendo nomen ſuum longe lateque proferant, dicendo infantes videantur; quibus publicum docendi munus male demandaretur.

Qui cum florentiſſimus tum eſſet Lycei, Curiæ, & Seminarii ſtatus, haud difficile fuit noſtro per amœniora & ſeveriora litterarum ſtudia evagari, & uberrimis diſciplinarum omnium notitiis animum imbuere, atque ad eam amplectendam profitendamque præparare, quam ipſe ſibi magis conſentaneam reputaret. Atque hac in re avunculi eluxit ſapientia: quippe qui bene norat, in eis diſciplinis ingenioſos adoleſcentes excellere conſueſſe, ad quas naturæ ductu ferantur.

Quum vero ſextum & decimum annum expleſſet, e re avunculo viſum eſt, ab eo quærere, in quamnam potiſſimum diſciplinam ſibi animum inclinare præſentiret. Modeſtus autem adoleſcens, & avunculi in primis reverens, reſpondit: ei diſciplinæ fore ſe addictum, quam ipſe ſibi præmonſtraret. Minime vero, reſpondit ſenex, hac in re quicquam ſe neque præmonſtraturum, neque præmoniturum: integrum hoc ſibi relinquere: tantum cogitaret: eruditionem & philologiam, quæ ingenioſiſſimo cuique præ ceteris arridere ſolent, famæ plurimum, rei minimum conducere. Quare aut ſe curiæ, aut medicinæ, aut Eccleſiæ nomen dare oportere, ſi famæ ac rei

con-

conſulere vellet: ceterum ſui arbitrii optionem eſſe. Quoniam vero Franciſcus Ciceroni, Virgilio, & rei ruſticæ ſcriptoribus, ut prædixi, multum operæ impenderat, & rei herbariæ, univerſæque naturalis hiſtoriæ amœnitate trahebatur, medicinam elegit, eoque maxime, quod Nicolaum Cyrillum non ſemel in Lyceo audierat; qui cum doctrina eruditioneque ſuorum æqualium nemini concedebat, tum eruditione, & eloquentia parem unum habebat Nicolaum Capaſſum amicum & popularem ſuum, ſummumque juriſconſultum; quem tamen nativa quadam oris ſuavitate & perſpicuitate orationis ſuperabat. Revera autem ſiqua eſt diſciplina, quæ cum eruditione arcte conjungitur, ea quidem eſt medicina. Tum nulla prorſus ſive ars, ſive liberalis diſciplina cum græca lingua magis nectitur & colligatur, quam medicina. Proinde vel mediocris medicus nemo eſſe poteſt, qui græci ſermonis plane ſit imperitus. Contra quiſquis græcum ſermonem paulo uberius deguſtat, contineri non poteſt, quin per omnes pene ſcientias excurrat, mirumque earum concentum conſenſumque percipiat. Græca enim lingua cum omnium doctrinarum fontes aperit, tum ad illarum cognitionem ingenioſum quemque mirifice trahit. Quæ mihi videtur cauſa, cur in eruditione medici excelluerint, & cur non raro a medicina ad philoſophiam, philologiam, poeticam, & rem antiquariam tranſierint. Philoſophia vero etſi liberalium quorumque ſtudiorum fundamentum eſt; medicinam tamen velut proprie privatimque ſpectat. Nam medicus philoſophus

vel

vel hoc præſtat empirico, quod non modo genitos manifeſtoſque morbos curare ſatagit, verum etiam obſcuros & advenientes prænoſcit & propulſat. Quamobrem multo utilior admirabiliorque eſt medicus, qui impendentes morbos prænoſcit, & avertit, quam qui natos auctoſque noſcit & depellit. Proinde jure Aegyptii & Græci ceteris artibus medicinam antetulerunt. Romani vero, qui cum litterarum rudes erant, medicos, philoſophos, rhetores, & mathematicos parvifaciebant, iidem poſt devictam Græciam, præclaraſque artes ejus penitius perceptas, philoſophos, rhetores, grammaticos, mathematicos, ac, præ ceteris, medicos honori habuerunt, & large effuſeque donarunt. Attamen minime raticendum eſt, olim apud Aegyptios, Græcos, & Romanos duo medicorum genera fuiſſe: alterum quidem nobilium; alterum vero mercenariorum: quos alteros Cornelius Celſus & Plinius paulo honeſtiore vocabulo artifices appellarunt. Atque in hos merito uterque, efferatius tamen Plinius, invehitur, incredibili eorum audacia, avaritia, & philoſophandi medendique diſſenſione offenſus. Nec quiſquam in medicinæ hiſtoria verſatus negaverit, aliquando medicos, non ut ægrotis certius citiuſque ſuccurrant, ſed ut rei famæque ſerviant, novis periculoſiſque curationibus, credulis imperitiſque fucum facere; quarum curationum ſi vel una (quod in infinita propemodum cauſarum corporumque diverſitate haud mirum eſt) in ſplendida perſona ſucceſſerit, innumeras infelicis exitus occulit, & magnum auctoribus nomen parit.

Cum igitur noſter medicinæ ſe addixiſſet,

phi-

philoſophicis & geometricis primo, poſt anatomicis, botanicis, chemiciſque ſedulam operam navavit. Sed cum id temporis Carteſius ſcholas omnes occuparet, & Nicolaus Cyrillus auctoritate ſua illius doctrinam Neapoli tueretur, brevi noſter Carteſianus evaſit. Cum vero Lucretium & Gaſſendum, latini ſermonis puritate, eruditioneque ductus, magna cum voluptate legeret, & Carteſianam philoſophiam vel nullis, vel fictis infirmiſque principiis niti animadverteret; contra Epicuri, maxime ab Gaſſendo correctam, & ad Chriſtianæ religionis amuſſim redactam, longe probabiliorem deprehenderet, paulatim a Carteſio ad Gaſſendum deſcivit, ſed occulte, ne Cyrillo (in cujus ſe familiaritatem inſinuaverat) diſpliceret, Carteſii, ut dictum eſt, acerrimo defenſori. A Gaſſendi lectione ad Galilei, Torricellii, Borelli, Boylii, Redii, & Florentinæ Academiæ experimentorum lectionem gradum faciens, tamquam ab Epicuri intermundiis in magnificentiſſimam frequentiſſimamque urbem delatus, æternum Carteſianæ phyſicæ vale dixit. Itaque ſenſim experimentalis philoſophiæ ſoliditatem utilitatemque intelligens, ſeſe tradidit evolvendis eorum libris, qui non aliud, quam experimenta & obſervationes cum a ſe, tum ab aliis accurate inſtituta & iterata colligere & publici juris facere penſi habuerant. Dici enim non poteſt, quantopere Carteſiana non philoſophandi, ſed opinandi ratio philoſophiæ medicinæque progreſſibus obſtiterit.

His ingenii, eruditionis, & philoſophiæ præſidiis inſtructus, ad medicinam addiſcendam pro-

proceſſit. Ut vero in phyſica tum dominabatur Carteſius, ſic in medicina illorum regnabat ſecta, qui a fermentis (velut antiquitus qui a methodo, ab experientia, ab aere, & a dogmatum doctrinarumque delectu, methodici, empirici, pneumatici, eclectici, & poſtremis temporibus qui a mechanica, & ab electro, mechanici & electrici dicti ſunt) nomen invenerant. Quæ medicinæ ſchola etſi peræque, ut Carteſianæ phyſicæ ſecta, erat irridenda; tamen id temporis ita generatim & univerſe probabatur, ut Cyrillus ipſe, Vir ceteroquin acerrimi judicii, & veritatis ſtudioſiſſimus, eam ſequeretur: quam quidem cum adoleſcens didiciſſet, & grandior permultos annos privatim ac publice docuiſſet; quamquam poſt falſam reperiſſet, palam tamen refellere atque improbare non ſuſtinebat. Et vero idem Cyrillus (quemadmodum a Cl. Nicolao Martino matheſeos profeſſore in Lyceo, & ejus æquali, quamvis juniore non ſemel audivi) Carteſianæ phyſicæ futilitate detecta; ne tamen poſtremis annis levitatis inſimularetur, cum interioribus amicis querebatur, ſe Carteſianæ phyſicæ plus, quam merebatur, operæ impendiſſe.

Noſter autem, qui Galilæi, Borellique philoſophandi ratione percepta, Carteſianam phyſicam deſeruerat, commentitiam Fermentiſtarum doctrinam temporius, quam per ætatem licebat, irriſit, & mechanicam a Borello invectam, & ab eximio ejus diſcipulo Bellino dilucidius expoſitam commendabat. Itaque Bellini tractatus omnes tam cupide ſerioque legit, ut memoriæ mandarit. Pitcarnium quoque, qui tum alter

me-

mechanicæ medicinæ cardo putabatur, pluries acriorique ſtudio evolvit. Primas tamen Bellino deferebat, eo maxime quod nonnullas Pitcarnii doctrinas ingenioſiores, quam veriores exiſtimabat. Nam Pitcarnius Fermentiſtarum ſectam uſque adeo inſectabatur, ut ſanguinem & ſecundarios humores inertes prorſus affirmaret: quod omnibus omnium ſectarum ſanioris mentis phyſiologis, longe abſurdiſſimum viſum fuerat. Poſtquam vero Boerhaavii medicas inſtitutiones legendi facultatem nactus eſt (quæ tametſi ab uſque anno MDCCVII. prodierant, tamen tum diu poſt Neapolim allatæ fuerunt, tum ſecreto perpaucorum manibus terebantur) tantopere exultavit, ut cum ſodalibus condiſcipuliſque differens, liberrime dixerit, unum Boerhaavium Borelli Bellinique veſtigia ſecutum, abſolutum medicinæ σύςημα concinnaſſe. Tantum in Boerhaavio nimiam brevitatem, & frequentiſſimam, more geometrarum, prædictorum per latinos, arabicoſve numeros indicationem damnabat. Celerrime igitur totius medicinæ rudimentis informatus, ad veterum Medicorum lectionem, præſertimque Hippocratis, Galeni, Aretæi, Celſi, Plinii, Cælii Aureliani, & poſterioris ævi Græcorum, & Arabum ſe convertit, quo per ſe ortum, progreſſum, viceſque medicinæ noſſet, & ſine partium ſtudio, veteres, an juniores medici præſtantiores fuiſſent, judicaret. Recentiorum quidem illos libentius legebat, qui aut frugiferis ſive anatomicis, ſive phyſicis inventis, aut accuratiore morborum deſcriptione medicinæ propoſitum propius attigiſſent. Illos vero, qui nova, quam-

vis

vis ingenioſa, proferrent, e quibus tamen nihil emolumenti caperet medendi ars, contemnebat. Nihilominus cum eruditionis eſſet amantiſſimus, rudes impolitoſque ſcriptores, niſi doctrinæ ſoliditate valde ſe commendarent, non legebat. Quotieſcunque vero novus ei liber afferebatur, ex titulo & anteloquio, quanti faciendus eſſet judicabat. Tam enim abſurdum ei videbatur, cordatum ſcriptorem in operis limine deſipere, quam ineptum ſe non prodere. Contra eruditos, & elegantes quoſque auctores, dummodo doctrinæ prorſus non expertes, percupide verſabat. Græcos autem, Latinos, Etruſcoſque tam hiſtoricos, quam oratores, & poetas ſubſecivis horis lectitabat, ut eruditionem cum medicina conjungeret. Itaque conſecutus eſt, ut latine atque etruſce cum ex tempore, tum potiſſimeque meditato, dilucide copioſeque loqueretur & ſcriberet. Cum vero græco, latinoque ſermoni gallicus & britannicus fere ſucceſſiſſent, has etiam linguas, etſi natu grandior, didicit, tantoque ſtudio, ut non modo gallicos libros in manus ſumens, etruſce redderet, ſed britannicos quoque, & utroſque ita vel latine, vel etruſce verteret, ut auditores latine vel italice vere ſcriptos exiſtimarent. Quod ne me exaggerare quis opinetur, Cl. Mazochii verbis confirmatum eo. Vertit noſter italice *Obſervationes Joannis Pringlii de morbis caſtrenſibus anglice ſcriptas*. Verſionis pretium Cl. Mazochius ſic expreſſit: *Quod ita factum a viro diſertiſſimo fuit, ut id opus non ex aliena lingua tranſmiſſum, ſed plane genuinum, & nunc primum in Italia feliciſſimo in ſolo*

C pro-

prognatum credas. Hinc Acta Societatis Regiæ Londinenſis (quas *Tranſactiones* Britanni vocant) & Academiæ Regiæ Pariſienſis, & ceterarum Germaniæ, & Petropolis, quæ ſingulis annis evulgantur, ſedulo evolvebat, & notatu digniora, quæ medicinam, phyſicam, hiſtoriam naturalem ſpectabant, preſſius, ſuiſque verbis, in adverſaria conjiciebat. Quæ cum ab amicis avunculo renunciarentur, ei viſum eſt, adoleſcenti ſponte ſua in litterarum ſtadio mire progredienti, doctoris laurea adjecta (quæ tum litterariæ gloriæ culmen putabatur) calcar addere. Sed cum duodeviceſimum annum vix eſſet ingreſſus, nec ante viceſimum expletum cuiquam liceret, doctoris laurea donari; avunculi ſollertia factum eſt, uti ante lege præſtitutum tempus doctoris laurea coronaretur. Quod ego non dolo, ſed laudi avunculo vertendum eſſe autumo. Nam ſi per legem ob præcocem malitiam adoleſcens XVIII. annis minor ad ſupplicium datur; qui, eximiæ virtutis doctrinæque gratia, XVIII. annos natus adoleſcens laurea, merito velut præmio, affici nequit? Commodum autem providus ſenex id fecit: nam ſi tum facere diſtuliſſet, deinceps exſequi nequiviſſet. Quo inſperato honore incenſus, reliquum curſum alacrius citiuſque confecit. Dum ſic intime jucundeque cum litteris viveret, triſtis nuntius affertur, avunculum gravi morbo decumbere. Quo nuntio adeo exſternatus eſt, ut niſi Agnelli Vaxalli (de quo infra recurret ſermo) contubernalis ſui conjunctiſſimi ſalutari conſilio confeſtim ei ſanguis detractus eſſet, verendum fuiſſet, ne doloris acerbitate exſtingueretur. Ut vero ſe col-

legit

legit, vehementer ingemuit & ploravit: providebat enim, quantam jacturam faceret, ſi avunculus tum interiret. Sed cum animi cruciatum nec ſibi, nec avunculo quicquam prodeſſe intelligeret; rectius putavit cum Agnello Vaxallo (quem fratris loco habebat, conſulebatque) ad illum viſendum celerrime proficiſci. Reperit autem cum morbo miſerrime colluctantem. Ejus tamen adventu avunculus recreatur; mater vero & Hieronymus lacrimarum vim profuderunt. Accedit ad ægrotum, quem blande alloquitur, atque ad ſanitatis ſpem erigit. Deinde vultum & ſpiritum inſpectat, poſt venas attrectat, ſeduloque explorat. Omnia vero inde peſſima colligens ſigna; ne tamen ægroto vim augeat morbi, diſſimulat. Matri vero, Hieronymo, atque Agnello ſeorſum paullo apertius loquitur, ſic ut alios, experientiaque probatiores medicos, arceſſendos in ancipiti caſu moneat, ut ſi quid ars auxilii polliceatur, celeriter adhiberi poſſit. Hieronymo tamen in aurem inſuſurrat, conclamatum eſſe, ipſeque continuo aufugit in agrum, ut animi dolorem quoquomodo lacrimis expleret. Itaque Hieronymus ſacerdotis perſonam munuſque reſumiens, adit avunculum, ſalutat, & bene ſperare jubet; tamen, ut res felicius cedat, a Deo opem implorandam eſſe addit, ut medici divino lumine illuſtrati, præſentius gravi morbo remedium adinveniant. Senex autem, qui & ipſe ſacerdos erat, & animarum curam gerebat (erat enim Parochus) & religionis obſervantiſſimus, reliquo collecto ſpiritu reſpondit: jam ſe ex collapſis viribus, & ſpirandi difficultate morbi vim præ-

cepiſſe ; cum vero Franciſci vultum ſe inſpectantis, & venas diutius attentiuſque tangentis obſervaſſet, de ſe actum eſſe intellexiſſe. Itaque ſe paratum eſſe domino, a quo acceperat, animam ſuam reddere. Antequam vero Eccleſiæ ſacramentis ad profectionem muniretur, Hippolytam & Franciſcum alloqui velle. Statimque Hieronymus eos vocari juſſit. Qui cum mœrore confecti veniſſent, optimus ſenex inquit: humanum eſt, vos mea cauſa triſtes eſſe; ſed ægritudini modus eſſe debet: mortalis ſum, diuque vixi, atque utinam, ut Chriſtianum & Sacerdotem decebat! ſi morbum hunc evaſero, perpaucos tamen annos ſupervixero; & vel caſu in via, vel ſcalarum lapſu, vel ſubitario alio morbo interibo. Ergo ſatius eſt, nunc in lectulo meo, vobis præſentibus, & Deum pro me deprecantibus, ei me ſpiritum reddere. Soror, te, quoad mihi ſuperſtes fueris, Hieronymus & Franciſcus ſolabuntur; Hieronyme, qui natu major, & ſacerdos es, Franciſcum, ut filium, tuere; tuque illum, ut patrem cole. Jam tibi ætas, litteræ, uſus, quid Neapoli opus facto ſit, ut notus clarusque fias, ſatis oſtendere potuerunt. Scientia prima eſt, qua docti homines maxime ducuntur; ſecunda eſt facundia, qua docti indoctique pariter alliciuntur; tertia comitas eſt, quæ matronarum, nobiliumque ſacrarum virginum (quarum longe maxima Neapoli poteſtas eſt) animi devinciuntur. Quibus ſi utilitatis contemptum in tempore adjunxeris, omnibus carus fies, & honores, opes, divitias honeſtiſſime comparabis. Poſtrema hæc mea verba, Franciſce, memo-

mo-

moriæ manda. Jamque animæ mihi quondam dulciſſimæ valete. Flentes diſcedunt omnes, præter Hieronymum, qui avunculo aſſidebat. Qui cum illum ſenſim magis langueſcere animadverteret, cetera Eccleſiæ auxilia, quæ hinc ad æternam vitam proficiſcentibus perneceſſaria ſunt, ſine mora præbuit. Quibus rite peractis, tres adveniunt ſenes decrepiti medici, Franciſci, ut prædixi, conſilio advocati. Quos ſenex videns, quamvis morbo opprimeretur, veteris feſtivitatis ſuæ memor, Hieronymo ſummiſſa voce dixit: ſibi e vita decedenti opportune tres comites adjungi. Illi vero accedunt, ægrotique faciem, ſpiritum, decubitumque obſervantes, protinus taciti triſteſque abeunt. Senex autem, qui ad ultimum ſpiritum mentis compos fuit, inde deploratam ſanitatis ſpem arguens, Chriſti ſimulacrum, quod prope habebat, accipiens & deoſculans, placide requievit. Quantum autem ſorori ejuſque filiis, potiſſimeque Franciſco, illius mors luctum attulerit, dicta ſatis explicant.

Juſtis vero ſeni perſolutis, mater, ſeorſum ab omnibus, filios vocat, & quæ in præſentia rei familiari tuendæ, quæque ipſis in poſterum ſuſtentandis expediant, proponit, & ſuggerit. Ætatem ac valetudinem (denuo memorat) non ſinere, ut ipſa rei familiaris onus ſuſtineat; nolle tamen id eis imponere: ipſi cogitarent, quo pacto utrique rei fieri ſatis poſſet. Ad hæc Hieronymus humane ſapienterque reſpondit: mœrorem ſollicitudinemque abjiceret, ac uni tantum valetudini operam daret: cetera curæ ſibi fore. Deinde, ſecreto fratrem adit, & excutit, quo de communi ſen-

tentia confirmaretur, quod ipſe ſtatuerat de agro locando, deque fideli ſocia matri adjungenda; cujus utens opera, ingraveſcentem in dies valetudinem levius ferret. Franciſcus autem, qui litterarum ſtudio & gloria trahebatur, & ſedem Neapoli deſignaverat, fratris arbitrio permittit omnia; ea tamen lege, ut ne quid mali incommodive in matrem redundaret, neve ſui oblivisceretur: avunculum enim, cujus ſumptibus ſat diu & bis Neapoli ſuſtentatus fuerat, vixiſſe. Cui Hieronymus: jure quidem hæc ipſum paciſci; ſed iſthæc pacta conventa in re manifeſtiſſima ſupervacua eſſe. Bona fide & fraterna caritate ſe agere. Quin ſciret, ſe conſtituiſſe, quidquid ex paterno fundo rediturum foret, totum, ne quadrante minus, in matrem & ipſum inſumere. Sibi enim quod ad honeſte vivendum ſatis eſſet, Seminarium ſuppeditare. Ad quæ Franciſcus: de ipſius fide & benevolentia erga ſe, minime ſe dubitare; nec adeo ſui amantem eſſe, ut paterni fundi reditus in matrem & ſe totos abſumi velit: tolleret ipſe quod ſibi videretur: tantum ſecum in animo conſideraret, domicilium Neapolitanum pergrave eis præſertim eſſe, qui illuc ſtudiorum cauſa confluerent. Quibus amice compoſitis, quæ ſtatuerat, matris aſſenſu conficit Hieronymus. Aliquot poſt diebus matris hortatu Franciſcus Neapolim remeat cum Agnello ſuo; & Blaſio Puteo (id temporis magni nominis clinico) artis uſus diſcendi gratia ſeſe tradit. Cyrillus enim, quem ut in artis doctrina præceptorem elegerat, ſic etiam in operibus ducem optabat, comitatu diſcipulorum in medicina facienda

da offendebatur. Quotieſcunque vero inter Puteum & Cyrillum de ancipiti quoque morbo conſultare oportebat, diſcrimen ipſe advertebat inter medicum mere clinicum, & philoſophum diſertumque medicum. Siquidem Puteus neque phyſiologiam, neque humanitatem ſatis noverat; quamquam medendi uſu vulgo commendaretur. Cyrillus autem nec medendi peritia ſollertiaque inferior erat; & phyſiologia, eruditione, facundiaque illum, & æquales ſuos omnes ſuperabat. Quo fiebat, ut cœtus eruditorum, & curialis ordo Cyrillo; cæteri vero Puteo, ejuſque ſimilibus uterentur. Itaque longe plures curabat Puteus, quam doctiſſimus Cyrillus. At vero cum externi nobiles ægroti valetudinis cauſa Neapolim appellebant, aut per litteras noſtratium medicorum conſilium expoſcebant, defunctis Portio & Tozzio, unius tantum Cyrilli conſilium quærebant. Hic enim, illo exſtincto, externis magni nominis medicis ſcriptis famaque ſe maxime probaverat. Franciſcus autem, etſi moniti ab avunculo accepti memor, fructuoſiorem clinicen eſſe didicerat, quam eruditam philoſophicamque medicinam; ſuaque res familiaris, avunculi obitu, tum anguſtior, id ſuadebat; litterariæ tamen gloriolæ ſtimulis incitatus, Cyrilli diſcipulus eſſe cupiebat; honeſtam vero cauſam, qua id conſequi poſſet, non reperiebat. Nihilominus identidem veniebat in Lyceum, ut Cyrillum audiret, ſalutaret, ſibique officiis magis magiſque devinciret. Auſpicato autem paulo poſt accidit, ut Cyrillus una cum celebrioribus aliis civitatis medicis ab nobiliſſimo ægroto, cujus curationem ſuſceperat Puteus, vo-

catus, ceteriſque ad indictam horam præſentibus jam medicis; unus abeſſet Puteus, qui morbi ortum, progreſſum curationemque adhibitam narrare debebat; ut quid ei, ſi fieri poſſet, profligando expediens foret, inveſtigarent; cumque diu Puteum omnes exſpectaſſent, & quiſque ægrotos ſuos alios adire vellet, & ille non compareret; Cyrillus, Franciſco inſpecto (quem vero ea gratia præmiſerat Puteus, ut ſi ad tempus adeſſe non poſſet, ipſe morbi originem, curſum, curationemque ab initio inſtitutam arceſſitos medicos edoceret) ei dicit: tu vero, ſodes, qui Putei aſſiduus fiduſque ſectator es, præceptoris vicem obi: illum namque, ut vides, ſatis ſumus præſtolati. Cui reſpondit Franciſcus: ita mihi quidem præceptor mandavit: attamen niſi tu, Vir Cl. quem ego, peræque ut illum, colo, juſſiſſes, per me exſequi auſus non eſſem: nam fieri poterat, ut ille in tempore adveniret. Tum hiſtoriam morbi breviter, diſtincte, concinne, accurationeque tanta ſymptomatum, & curationis a Puteo adhibitæ denarravit, ut ad unum medici omnes illum magnopere collaudarint. Deinde ipſi diſſerunt, decernunt præcipiuntque quod morbo infringendo, naturæque viribus inſtaurandis opportunum exiſtimabant. Inde ægri animum de more excitant, & abeunt. Noſter autem, conſeſſu ſoluto, cunctis gratias egit, & Cyrillo, quamquam renuenti, manum deoſculatus eſt: qui iterum cumulatiuſque laudavit, & in aures dixit: ad me veni. Quantopere autem iſtac invitatione lætatus fuerit, difficile explicatu eſt. Inde tamen intelligi poteſt, quod ſe tandem voti compotem factum

eſſe

eſſe Agnello Vaxallo dixerit, & fratri matrique ſcripſerit. At ne Puteo, a quo perlibenter inter diſcipulos receptus fuerat, ingratus videretur, factum ei refert, atque adjungit, clinicem fructi quidem plurimum polliceri, ſed longe plurimum improbique laboris afferre, & ab amœniorum litterarum ſtudio avocare: ſe autem voluptatem a litteris percipiendam rei anteferre. Sineret igitur a quæſtuoſa ad eruditam nobilioremque medicinam ſe converti: clinicos quidem medicos curandis ægrotis; eruditos vero clinicis inſtituendis neceſſarios eſſe. Nec vero a Clinica ſe abhorrere, quæ artis propoſitum attingit; ſed clinicem cum phyſiologia & eruditione velle conjungere; ut & ægrotos curare & medicinæ ſtudioſos adoleſcentes privatim ac publice docere poſſet. Quæ cum audiſſet Puteus, qui rei unice ſtudebat, reique augendæ cupiditate genium defraudabat; & (ut fama eſt) eandem ob cauſam triſtem exitum habuit, ſubiratus ironice ei reſpondit: laudo te, qui præ litterarum voluptate utilitatem aſpernaris; litterarum voluptas te fortunet, nomenque tuum ad aſtra ferat. Vale. Revera diſceſſio Franciſci Puteo diſplicebat: nam quotieſcunque conſultus, ſcripto reſpondere cogebatur, ſummatim ſententiam ſuam ei ſignificabat; quam Franciſcus digerebat ornabatque. Sic honeſte a Puteo ad Cyrillum tranſiit, a quo liberaliſſime exceptus, filii pene locum apud illum obtinuit. Tum ei patuit Cyrilli bibliotheca omnibus omnis generis claſſicis auctoribus refertiſſima. Itaque ſingulis diebus & primo mane, & veſpere ad multam noctem ibi morabatur, legebat, notabat, optimiſque medicis, philo-

loſophicis, philologicis, hiſtoricis, poeticis, politiciſque notionibus animum ſuum in dies magis locupletabat. Ac, ne diſſimilibus ſtudiis ingenium perverteret, ſingulis doctrinis ſtata tempora perſcribebat. Quod cum Cyrillus ex Vaxallo, quicum omnia noſter communicabat, reſciviſſet, die quodam utroque ad convivium vocato (Cyrillus enim ſplendide vivebat, & raro ſolus prandebat, vel cœnabat) a noſtro ridens quæſivit: medicus ne, an philoſophus, an philologus, an hiſtoricus, an poeta, an politicus illa eſſet die? Lepide autem noſter reſpondit: benignitate tua œconomicus ſum. Riſit Cyrillus, & ſubdidit: per me tibi quotidie œconomico eſſe licet. Cave tamen, Franciſce, ne illius ſimilis fias (Puteum vero intelligebat) qui, ut divitias ſemper augeat, perpetuum ventri bellum indixit. Opipare quotidie convivari & pergræcari nec medici, nec philoſophi, nec œconomici eſt; ſed rei amplificandæ cauſa, tenui pravoque victu uti, hominis eſt cum ſtulti & ſordidi, tum etiam improbi. Nec enim qui ſibi genioque infenſus eſt, aliis amicus benignuſque eſſe poteſt. Quod eo dictum volo, ut ſi quid ex illius conſuetudine animo tuo forte infuſum eſt amoris divitiarum, celeriter atque radicitus a te evellatur. Crapula quidem & helluatio turpiſſima eſt, & rei ac valetudini obeſt; veruntamen frugalitas nimia, maxime vero ſi ab avaritia proficiſcatur, pariter, aut magis etiam eſt vitioſa. Et vero ditiſſimus quiſque, ſi ſapit, œconomicus ſit oportet; ne in inopiam delabatur. At quiſquis ſapit, pro facultatibus œconomus eſt. Eademque ratione corporis cultus, quem imperiti

riti

riti indiſcriminatim luxum vocant, &, ceu teterrimam peſtem, e civitatibus exterminandum putant, metiendus eſt. Nunc, quamvis res tua non eo loco ſit, ut avaritiæ obſecundes; tamen, ne furtim animum tuum irrepat, principiis obſta. Sed manum de tabula. Atque hæc prima Cyrilli lectio Franciſci animum ad liberalitatem civilemque vitam natura propenſum confirmavit. Eapropter is etiamſi arctius tum viveret, concinno veſtitu utebatur, quo ad extremam ſenectutem uti perſeveravit. Tanti gravium virorum exemplum eſt! Animadverſumque fuit, Cyrilli diſcipulos liberales elegantesque; Putei vero avaros omnes & ſordidos fuiſſe.

Noſter igitur Cyrilli animi magnitudine perſpecta, ad ejus ſe exemplar formavit. Cyrillus autem miro ejus ingenio detecto, ſubinde aliquid ſcribendum dabat; & cum ipſe aut ægrorum curationibus, aut commentariis in Etmullerum, aut novis diſſertationibus (quas auditorum gratia exarabat) diſtinebatur, epiſtolas ab externis miſſas, quibus morborum hiſtoriæ narrabantur, ejuſque conſilium poſcebatur, ei tradebat, ut ea perſcriberet, quæ ſibi eis morbis expugnandis idonea viderentur. Ipſe poſtea ſerio legebat, & ſiqua minus recte aut dicta, aut cogitata & præcepta notabat, ita leniter urbaneque corrigebat, ut & noſter minime offenderetur, & a tanto viro corrigi vellet. Sic paulatim Cyrilli ſcribendi, philoſophandi, medendique rationem univerſam aſſecutus eſt. Quod poſtquam iteratis experimentis Cyrillus novit, reſponſiones ejus vel non legebat, vel ab ipſo legi jubebat, eo conſilio,

ut

ut probaret, ejuſque permodeſtum ingenium attolleret. Ut enim fervida & audacia ingenia retundenda & coercenda ſunt; ſic timida, & verecunda ſunt excitanda & acuenda. Hinc Cyrilli amor erga novum alumnum quotidie augeſcens, Cyrillum impulit, ut cum amicis omnibus (qui primæ notæ litterati Viri erant, & habebantur, velut Didacus Vidania Lyceo Præfectus, Cajetanus Argentius, Xaverius Panſutus, Carolus Majellus, Nicolaus Capaſſus, Vincentius Hippolytus, hujuſque claſſis alii) impenſe illum laudaret, prædiceretque futurum, ut ſi vivax & conſtans foret, ſuo tempore Lyceum, patriam, & medicinam foret illuſtraturus. Cum vero id temporis plures clinicos haberet civitas, qui ſecum, icto velut fœdere, tam nobilium domos omnes, quam cœnobia utriuſque ſexus primaria circuibant, nec alium, quamlibet præclarum medicum, niſi de ſuo grege, in ea loca penetrare patiebantur; perdifficile Cyrillo viſum eſt, alumnum ſuum (Puteo inſuper, quem deſeruerat, irato) ad clinicam promovere. Re igitur recte perpenſa, auctor ei fuit, ut ludum domi aperiret, & philoſophiam medicinamque juvenes ſedulo edoceret. Sic enim ſine contentione aſtuque interea honeſte aliquid lucrifacere, & occaſionem opperiri poterat, qua inter clinicos referretur. Hanc, addidit, ſeſe adoleſcentem viam inſtitiſſe; hac nomen inveniſſe; hac cathedarium munus adeptum eſſe; hac denique, ſine artificio, ſine dignitatis jactura, ſine improbo labore, ſine commendatione eo perveniſſe, ubi tunc ſine invidia conſiſtebat. Dicto paruit Franciſcus,

& lu-

& ludum aperuit, & philoſophiæ ac medicinæ ſingulas partes ordinate, dilucide, ornateque lectiſſimis adoleſcentibus (quos Cyrillus ipſe partim e cathedra illum commendando, partim etiam amicorum opera colligendo, tacite mittebat) aliquot annos explicavit. Adhæc ſi quem in humanioribus litteris paulo rudiorem deprehenderat, ſeorſum ab aliis, in eis quoque erudiebat. Quæ res incredibilem ei diſcipulorum amorem conciliavit. Eapropter quicunque doctoris gradum aſſequi cupiebat, ipſum adibat, ut privatim totius philoſophici medicique curriculi ſummam in memoriam ſibi revocaret, quo paratior foret ſolvendis quæſtionibus, quas ſibi propoſituri eſſent Lycei profeſſores, doctoreſque Collegii. Quæ poſtrema noſter neque gravate, neque pretio faciebat. Hæc vero ad Cyrillum ejuſque amicos ab ipſiſmet adoleſcentibus delata, eis ſummopere arriſerunt. Diuturna tamen animi contentio, & intermiſſa corporis exercitatio ſenſim ejus valetudinem ita fregerunt, ut colore, habitu, viribuſque amiſſis, in tabem incurriſſet; niſi, Cyrilli auctoritate, ſtudiis curiſque omnibus relictis, in patriam remigraſſet. Mater autem filii vultu inſpecto, improviſi reditus cauſam novit, graviterque indoluit. Ne vero ſapiens femina mœrore ſuo morbum augeret filio, de ipſius reditu ita ſe gaudere finxit, quaſi videndi ſui tantum cauſa ille in patriam reveniſſet. At ille aperte confeſſus eſt, & ipſius longo poſt tempore videndæ ſalutandæque, & ſuæmet afflictæ valetudinis ſublevandæ cauſa, in patriam revertiſſe. Tum ei mater dixit: ſatis cognoram hac altera cauſa vel unice,

vel

vel maxime huc te remeaſſe; ſed ne te aut expoſtulatione, aut adverſæ valetudinis commemoratione quoquomodo contriſtarem, alterius tantum, quæ me ſpectabat, cauſæ mentionem feci. Equidem maluiſſem, mea dumtaxat cauſa te rediiſſe. Sed, ut ut eſt, ſanequam optimum tibi conſilium dedit Cyrillus. Nativus enim aer, etſi deterior peregrino, cuique ſalubrior eſſe ſolet. Jure vero in morbum incidiſti: nam ſi, ut par fuerat, & tute mihi pollicitus fueras, mei meminiſſes, & ſubinde, minoribuſque intervallis reverſus huc eſſes, valetudinem haud tantopere labefactaſſes. Verumtamen parentum monita tum demum exaudiuntur, cum facto probantur. Sed quod corrigi nequit, fruſtra exprobratur. Convaleſces, fili, tum nativi aeris reſpiratione, tum litterariis ſtudiis intermiſſis, tum exercitatione multiplici, nimirum venatione, equitatione, aucupio, quarum hic rerum maxima eſt opportunitas. Avunculus tuus, litterarum, ut noſti, ſtudioſiſſimus, peræque adoleſcentulus longum in morbum Neapoli implicatus eſt; quem intermiſſo litterarum ſtudio, nativoque cælo, atque exercitatione devicit. Tuum vero, Franciſce, vitæ genus, quemadmodum de Hieronymo non ſemel audivi, improbi laboris plenum mihi videtur. Propterea niſi Cyrillus, qui te tantopere diligit, & Neapoli inter medicos princeps eſt, ad jucundiorem te vitam pertraxerit; magnopere vereor, ne dum cupidius gloriæ inſervis, in medio curſu delinquas. Sed ecce Hieronymum, qui hac ſuper re rectius conſulitur. Qui, ut fratrem vidit, ingentis lætitiæ vocem edidit, eumque amplexus atque

oſcu-

oſculatus eſt. Deinde varias, dedita opera, Hieronymus ſermones ſeruit, ut Franciſcum & matrem ad hilaritarem traduceret. Aliquanto poſt, meridie accedente, qui ſtatum prandendi tempus eſt in pagis, viciſque, a matre ad menſam vocantur. Franciſcus autem, etſi diæteticis præceptis optime inſtructus, plus tamen, quam ægro corpori medicina concedit, ingeſſit & potavit. Quod mater obſervans, exultavit, dixitque Hieronymo: ſalva res eſt: nam fames certus coctionis eſt index: quicunque vero concoquit, e gravi quolibet morbo relevatur. Sic eſt reſpondit Hieronymus: ſed fratris hæc eſt provincia; qui jure nos irriſerit, ſe præſente, de medicina nos loqui auſos. Quivis alius, Franciſcus inquit, ſuperbior medicus vos irriſiſſet; ego vero, qui potiorem medicinæ partem obſervationibus, eiſque maxime obviis, atque communibus innixam reor, non facile irrideo, nec unquam reprehendo idiotas ipſos de vulgaribus medicinæ præceptis obſervatiſque differentes. Quivis enim, dummodo recte ſentiat, & ſedulo morborum curſum obſervet, etſi medicinæ plane rudis, bona & mala morborum ſigna, æque ac medicus, noſſe poteſt. Matres autem filiorum amantes, ſi paulo ſint ſagaciores (quas inter noſtra, Hieronyme, primum ſibi vindicat locum) obſervatione filiorum, qui prima ætate pluribus gravibuſque morbis obnoxii ſunt, ſecundæ adverſæque valetudinis ſigna medicis ipſis melius dignoſcunt. Quod vero ad rem noſtram, ſive ut rectius loquar, ad meam (nam de me tota hæc eſt fabula) pertinet; tuum, mater, præſagium, ceu lætum fauſtumque omen accipio & volo. Univerſim

ta-

tamen haud certus bonæ coctionis index fames eſt. Præſtat quidem, ut in malis, ægros famis ſenſum non amiſiſſe. Sed ut fames ſanitatis indicium ſit, oportet etiam, ut æger quod appetit, ſapide comedat, & reficiatur a cibo, non opprimatur. Quæ ſi mihi, ut ſperare licet, obvenerint; te, mater, poſthac uti Salutem colam, & dubiis in morbis conſultabo. Quæ vero, reſpondit mater, hæc ſalus eſt? Medicinæ, reſpondit ille, præſes dea eſt, quam Romani, non ſecus atque Apollinem Græci, coluerunt. Intelligo, inquit illa, meque tibi ſalutem eſſe velim, iterum ut ſim mater. Num vero alteri ſalutem dare poſſit, quam ipſa amiſit; vos, qui ſapientes eſtis, judicate. Medicis infirma valetudine utentibus, Franciſcus inquit, iſtuc objici ſolet trito illo ſcommate: *aliis medens, at ipſe ulceribus ſcatet.* Attamen argutius, quam verius dicterium hoc exiſtimo: non raro enim medici contemptu incipientis morbi, ſeu potius lucri cauſa (ſiquidem, bonorum pace, medicorum natio avariſſima eſt) artis ſuæ præcepta, quæ ægrotis toties inculcant, ipſi, tamquam ſi eis exſolverentur, præterire non dubitant; ideoque gravius ægrotant, intereuntque. Cordatus autem medicus id primum ſatagit, ut corporis ſui naturam inquirat, & quibus rebus offendi, quibus juvari ſoleat, notatum habeat; quo caveat priora, poſteriora quærat, ſeque valentem, quoad licet, præſtet. Deinde ægrorum valetudini ita ſervit, ut ſuæ non obſit. Proinde laboris tantum inſumit, quantum ſine magna corporis animique moleſtia ferre poteſt. Qui vero medici quæſtui unice ſerviunt, neque valetudi-

nis

nis, neque laboris rationem habent. Atque iſti ægrum animum corpore gerunt infirmiore. Adhæc tua, mater, invaletudo, etſi nonnihil affert incommodi; periculo tamen vacat, & ab alia te fortaſſe ſervat graviore. Non omnes morbi, mihi crede, mater, detrimento ſunt; neque omnes recte curantur; cum ſæpe graviores alios gignant. Sed iſtæc doctrina, quamvis ſolidiſſima ſit, tam ægrotis, quam vulgaribus medicis perſuaderi non poteſt. Feram igitur æquo animo, immo & lucro apponam invaletudinem hanc meam, ne, ut affirmas, in graviorem aliam, letalemve incurram. Ita prorſus, mater. Ac ſi ſcires, quot aut leviſſime ægrotantes, aut inſanabilibus morbis laborantes, importunis curationibus ante præſtitutum tempus ad orcum demittantur; quotque nullis omnino adhibitis remediis, ſola patientia ac temperantia ad extremam ſenectutem, etiamſi infirmiſſima valetudine, pervenerint; ſerio, mater, ut dixiſti, incommodam valetudinem tuam lucro apponeres. Poſtremo devexa ætas tua (quam tibi ſapientiſſimæ feminæ in memoriam redigere tuto licet) vehementiorem quamque medicinam reſpuit. Sermonem tuum, reſpondit illa, & laudo & probo: eſt enim aliquid ratione, ſi corpori nequeas, animo ſaltem mederi. Verum, inquit Hieronymus, qui arrectis auribus matrem cum Franciſco diſputantem auſcultaverat: ſi hac tu ratione ægrotos tuos alloquaris; futurum provideo, ut ab eis dimittaris, nec a quoquam voceris. Quiſquis enim, frater, arceſſit medicum, ea gratia arceſſit, ut ejus opera ad ſanitatem redigatur, non ut rationibus pervincatur ad ferendum

 mor-

morbum. Quamobrem humani medici eſt, ſi ægrotum a morbo liberare non poſſit, ſpe tamen vel ad ultimum vitæ ſpiritum alere, ut honeſtius cadat. Id vero reſpondit Franciſcus, quis non intelligit? Ac memini, antequam medicinæ operam dare cœpiſſem, apud Ciceronem legiſſe, medicos etſi ex manifeſtis ſignis intelligunt propinquum ægri interitum; eum tamen illo morbo moriturum, non dicere. Sed iſtuc, quod humanum videri poteſt, ethnicorum potius humanitatem redolet. Nihilominus ita ſe medicus gerere debet, ut ne, dum religioni obſequitur, ſubita mortis denuntiatione, ægro fatum imprudenter acceleret. Sed hæc te melius novi, & probo. Veruntamen, Hieronyme, cum matre, eaque ſapientiſſima, vere aperteque loqui me oportebat. Ceterum ſcias, doctum, peritum, ingenuumque medicum, niſi irato Deo ſuo (ut ethnicorum loquendi morem uſurpem) natus ſit, ſi ejus prædictiones eveniant, vel apud illos nomen exiſtimationemque acquiſiturum, quibus antea inviſus, ignotuſve fuerat. Tum mater, ſatis de medicina, morbis, & medicorum artificiis diſputatum eſſe dixit: itaque tempus eſſe, ut Franciſcus valetudini conſulat, quo de ipſius vitæ genere certius ſtatuatur. Recte, mater, inquit Hieronymus. Mea tamen eſt ſententia: ſi frater (ut mihi præſagit animus) ex toto convaluerit, Neapolim ei redeundum eſſe, ut Cyrilli benevolentia & auctoritate vel inter Lycei profeſſores, vel inter nobiliores civitatis clinicos referatur; ſin minus, aut ei domi manendum erit tenui patrimonio contento; aut Averſam commigrandum, ibique clerici munus ſuſci-
pien-

piendum. Si convaluero, reſpondit ille, Neapolim, ut dixiſti, remigrabo; ſin contra, hic ſubſiſtam, matrique præſto adero; & invicem ſolabimur. Neque mihi a clericatu abhorret animus. Quin ſi avunculus ſiviſset, jam inde, cum Neapoli apud Jeſuitas humanioribus litteris operam dabam, a primoribus Societatis Patribus (abſit verbo invidia) ultroque in eorum cœtum fuiſſem cooptatus; & nunc clericus, ac rhetoricæ doctor eſſem, ſortemque meam trabali clavo, ut dicitur, fixiſſem. Quin ſi Epiſcopus Averſanus (is nimirum, quem ſupra laudavi, cui Averſana Eccleſia diſciplinam, mores, doctrinam accepta refert) humanioris eſſet ingenii, vel nunc etiam Eccleſiæ me dederem. Cum vero longius proceſſiſſet ſermo, & lautius pranſum eſſet, dixit mater: a prandio neque corpus, neque animum recte agitari. De te conſilium mature capietur. Itaque in cubiculum quiſque ſuum diſceſſit, quietique corpus dedit. Franciſcus autem ſive corporis imbecillitate, ſive quod hilaritate convictus plus æquo cibi potioniſque aſſumpſiſſet, arctiori ſomno correptus eſt; quamobrem a matre excitandus fuit, ut fratri Averſam redeunti valediceret. Et frater læto eum animo eſſe juſſit, in memoriam ei redigens primam valetudinem, quam adoleſcentior contraxerat Neapoli, quamque reditu in patriam celerrime depulerat; adjiciens ſapientiſſimum conſilium, quod præceptori ſuo intempeſtive diſputanti, ideoque lente contabeſcenti, dederat Lucas Antonius Portius: a prandio ſcilicet ad ſextam uſque horam neque legendum, neque ſcribendum, neque ſubtilius quicquam cogitandum eſſe. Nec enim aliam ado-

leſcentibus litterarum ſtudio deditis vel graviorem, vel frequentiorem morborum cauſam exſiſtere; quam coctionis tempore commentari. Tum, matri & Franciſco ſalutem dixit, & abiit.

Franciſcus, qui per ſe noverat, nimium legendi, ſcribendi, docendique ſtudium ſibi valetudinis cauſam fuiſſe, Cyrilli, & matris fratriſque monitis excuſſus, ſibi libris interdixit, & domi de rebus familiaribus cum matre, & in agro de ruſticis ludicriſque cum agreſtibus loquebatur. Quotidie autem aut longis deambulationibus, aut equitatione, aut venatione, aut aucupio, quarum rerum copiam præbet locus, ſe exercebat. Quo vitæ genere cum vires, coloremque ſenſim reſumeret, magnam matri fratrique ſpem fecit, fore ut, ſi in eo diutius perſeveraret, integre convaleſceret. Nec illos ſpes fefellit: nam ſexaginta circiter diebus elapſis adeo & valens & alacer factus eſt, ut virgunculæ ſingularis formæ, ejuſdemque cognationis, quacum pene eductus fuerat, vehementi amore captus, de reditu Neapolim, de medicina, litteris, & Cyrilli benevolentia vix amplius loqueretur. Mater vero, acutæ naris femina, de filii amore commonefacta, quamquam de ipſius modeſtia non dubitaret; tamen, ne virtus in re, quæ ratione minime regi ſolet, in diſcrimen veniret, neve juvenis, cujus tenues erant facultates, futuræ tamen ampliſſimæ, ſi medicinam, ut occœperat, Neapoli profiteretur, liberali curſu abrupto, uxorem duceret, domique manere, atque ad ruſticam vitam, quam puer tantopere defugerat, juvenis poſtliminio redire cogeretur; cum Hieronymo conficit, ut quamprimum

Nea-

Neapolim revertatur, ſeque valentem Cyrillo ſiſtat, antequam vel longior ejus abſentia, vel ſupparis ingenii juvenis (quorum in frequentiſſima civitate nunquam penuria eſt) Cyrilli animum ab ſe alienet. Quod ſapiens femina tanta egit ſollertia, ut juvenis, ſatis alioquin ſagax, materni conſilii cauſam non perceperit, & matri fratrique auſcultaverit. Secum tamen ipſe ſtatuerat, identidem qua valetudinis, qua matris viſendæ ſpecie, in patriam reverti, eaque probabili cauſa virgunculæ aſpectu colloquioque animo ſatisfacere, quoad illam ſibi liceret habere in matrimonio. Longe tamen aliter accidit: nam ſive repentino ejus diſceſſu, ſive qua alia cauſſa, amatrix virgo in magnam ſtatim ægritudinem incidit, ex eaque in acutiſſimum morbum, quo intra paucos dies ſummo cum Franciſci dolore interiit. Quamobrem deinceps patriam ſic averſatus eſt, ut diu poſt, nec niſi a matre vocatus, repetiverit. Atque hæc ejus litteraturæ, famæ, fortunarumque maxima fuit cauſa.

Neapolim igitur reverſus, recta Cyrillum adiit. Qui ut alumnum vidit, & bono habitu, naturalique colore, magnopere gaviſus eſt, atque in tempore adveniſſe dixit: vacabat enim ultima theoreticæ, ut ajunt, medicinæ cathedra in Lyceo, eaque veteri more, h.e. publica petitorum commiſſione, novo doctore erat implenda. Itaque Cyrillus ei ſuaſit, ut ad illam petendam cathedram ſe pararet, & Galeni libros *de uſu partium* (e quibus nimirum lectionis argumentum ſortito deſumendum erat) attente ſtudioſeque legeret. Dicto paruit Franciſcus, & Galeni opera

editionis Charterianæ (in qua tum græca Galeni oratio, tum latina verſio accuratiſſima exhibetur) e Cyrilli bibliotheca, illo ſinente, domum ſuam exportavit. Tum vero, etſi Galeni libros latine redditos alias evolverat, ſubtilius tamen expendens, magno ſibi adjumento eſſe ad auctoris mentem rectius aſſequendam, græci ſermonis notitiam intellexit. Ab hac ſeduliore Galeni lectione multum ſe didiciſſe mihi & aliis ſenem, quotieſcunque Galeni mentio fieret, pluries dixiſſe memini. Quocirca ſenex adoleſcentes hortabatur, ut Galenum ſæpe ac ſerio verſarent, neque nuperos Galeni ceterorumque veterum medicorum vituperatores audirent; legerent vero etiam nuperos, ut quæ Galenus vetereſque neſciſſent, aut peccaſſent, noſſe poſſent. Cum vero Galenus in primis eloquens erudituſque ſcriptor fuerit, jucundiſſima noſtro ejus fuit lectio. Haud igitur injuria qui Græcis Latiniſque ſcriptoribus diutinam operam dedit, recentiorum lectionem contemnunt. Ac ne a noſtratibus doctis Viris longius abeam, Auliſius, qui vitam in Græcis legendis conſumpſerat, induci non potuit, ut nuperos evolveret. In medicis tamen & phyſicis (Cl. Auliſii pace) recentiſſima obſervata atque experimenta ſcitu omnino neceſſaria ſunt.

Inſequenti anno (Franciſci viceſimo) cum ad cathedræ petitionem concurri cœptum eſt, princeps ipſe, utpote ceteris candidatis junior, in academicam arenam deſcendit, tantumque doctrinæ ſpecimen dedit, ut omnibus palmam præripuiſſet, niſi miſericordia judicum animos ad natu grandiorem candidatum, & qui pluries in diſcrimen addu-

ctus

ctus fuerat, convertiſſet. Judices tamen, qui ejus doctrinam ingeniumque perſpexerant, ei dixerunt: non repulſum, ſed reſervatum fuiſſe: tum enim, ætatis perpeſſorumque laborum rationem haberi æquum fuiſſe. Quod ipſe neque acerbe tulit, neque ob id remiſſius incubuit in litteras, nec vero conqueri auſus eſt. Hortante autem Cyrillo, & Didaco Vidania (optimis ingeniorum æſtimatoribus) confirmante, primo extra ordinem in Lyceo docere cœpit, magnaque auditorum frequentia. Quare noſtra memoria dici poteſt, Franciſco Serao meminem medicorum vel in Lyceo, vel in illuſtrium clinicorum cœtu, ſi ab uno doctore ſuo Cyrillo diſcedatur, citius aut clarius innotuiſſe. Cum igitur privatim domi ſuæ, & publice in Lyceo extra ordinem doceret, tantam exercitatione dicendi copiam brevi adeptus eſt, ut Cyrillum ipſum præceptorem ſuum proxime aſſequi videretur. Hoc autem pacto, Cyrillo etiam operam dante (quippe qui cum famæ ſecurus eſſet, ut magnus quiſque vir eſſe ſolet, tantum non offendebatur alumni ſui gloria fortunaque, ut contra magnam inde, ac præſtante ingenio dignam, voluptatem caperet) paulatim ab eruditis generoſiſque ægrotis conſuli cœptus eſt, nequicquam repugnante barbarorum clinicorum turba.

Anno MDCCXXVII. ætatis ſuæ XXV. iterum eadem cathedra, quam quinquennio ante petierat, doctore orbata, novum poſtulabat præceptorem; iterumque noſter, Cyrillo, Vidania, ceteriſque tam Lycei, quam civitatis primariis profeſſoribus & magiſtratibus ſuadentibus, petere coactus, ſecundum ingenii doctrinæque publicum experimentum ſub-

 iit.

iit. Quod ea virtute atque conſtantia ſuſtinuit, ut auditores ab iteratis acclamationibus nequiverint ſibi temperare. Parique alacritate competitoris aſperrimi objectis reſpondens, ingenii doctrinæque robur oſtendit. Annos igitur natus XXV. primam phyſiologiæ medicæ cathedram cunctis ſuffragiis obtinuit. Quod noſtri primum cathedrarium munus viventi adhuc Hippolytæ matri relatum, tanto fuit gaudio, ut Hieronymo dixerit: lætam ſe, ad tam honorificum munus Franciſco perducto, fore morituram. Nec diu poſt optima femina vivere deſiit; cujus ſapientiam amoremque erga ſe noſter ſæpe cum amicis non ſine magno intimoque animi ſui ſenſu commemorabat. Matris interitum gravior, & fere inopinata Cyrilli mors conſecuta eſt anno MDCCXXXIV.; quam & publica Lycei, & privata cauſa diu, atque dolenter deploravit. Ac ſi noſter Cyrillo diſciplinam, famam, fortunamque debuit; haud tamen facile in alio beneficia hæc ſua melius Cyrillus collocare potuit ſive doctrinam, ſive modeſtiam, ſive probitatem, ſive gratam beneficiorum memoriam ſpectes. Anno MDCCXLIII. ætatis ſuæ XLI., tertium in diſcrimen prodiit, atque ad ſecundariam practicæ, ut vocant, Medicinæ cathedram provectus eſt.

Anno demum MDCCLIII. cum annorum eſſet LI. obitu Joachimi Poetæ, (*) ad ſupremam Medicinæ cathedram, quam antea ſumma cum laude Cyrillus ſuſtinuerat, contentione quanta maxima fautorum veteris æmuli (quamquam longe imparis) ſummo cum Lycei & civitatis plauſu pro-

(*) Male pag. 20. lin. 22. annorum XLVIII. tum fuiſſe, excuſum fuit.

promotus fuit. Quam ita tutatus eſt, ut unus ex omnibus incomparabilis Cyrilli deſiderio leniendo occurrere potuiſſe æquis rerum æſtimatoribus viſus ſit. Hoc autem loco ſilentio præteriri non debet magna Franciſci alacritas & conſtantia in poſtrema primariæ cathedræ petitione. Cum enim compertum haberet, competitorem ſuum una fere memoria niti, lectionemque memoriter recitaturum; ipſe, dum ille recitabat, perſtitit in corona; illique e cathedra deſcendenti ſucceſſit, atque ex tempore celeriter, copioſe, eleganterque diſſeruit.

Anno MDCCLI. novo, & omnium, quos antea pertulerat, maximo dolore perculſus eſt, ob ſubitum atque importuniſſimum fatum Agnelli Vaxalli. Nam matre & Cyrillo defunctis, quos naturæ ac meritorum jure ante alios diligebat & obſervabat (Hieronymo fratre Averſæ commorante, atque poſt matris obitum non parum a ſe alienato, nimiaque religionis ſollicitudine intolerando, & ad inſaniam fere perducto) amorem ſuum omnem in Agnellum Vaxallum transfuderat; quem puer puerum noverat, & condiſcipulum æmulumque habuerat in grammaticis, rhetoricis, & philoſophicis; & ingenio moribuſque ſibi maxime conſentaneum repererat; quemque fratris loco XL. annos amplius ſine querela, vel friguſculo amaverat, atque in tenui amplaque fortuna amicum, contubernalem, conſiliorumque participem delegerat. Qui quantus mutuuſque amor fuerit, inde conjici poteſt, quod tota vita una habitaverint, & alter alteri impedimento fuerit, quominus uxorem ducerent. Quæ grati memoriſ-

riſque animi teſtimonia de Cyrillo doctore ſuo benemerentiſſimo, deque Agnello Vaxallo amico ſodalique doctiſſimo ſuaviſſimoque poſteritati reliquerit, cum de litterariis ejus monumentis incidet ſermo, referam. Nunc ordine cetera exponenda ſunt.

Vivo adhuc Cyrillo, ut ſuperius dixi, & inter ordinarios Lycei profeſſores, & inter illuſtres civitatis clinicos cooptatus fuit. Demortuo autem Cyrillo, omnes, qui in curationibus & conſiliis illo uſi fuerant, alumnum ejus medicum ſibi elegerunt. Unde noſter annos natus XXXII. tam in patrio Lyceo, quod laudi ducitur, quam in medendo, quod emolumento eſt, florere cœpit. Cum vero poſt Vaxalli fatum ſolus deſertuſque remanſiſſet, atque curationum conſiliorumque multitudine diſtrictus, rei domuſque curam (a qua ſemper abhorrens fuerat) ſuſcipere non poſſet, quinquagenario major uxorem ducere coactus eſt: eam vero legit popularem ſuam, ſtata forma, natu grandem, & propinqui ſui viduam, ex quo liberos habebat; eo conſilio, ut ſimul rei domuique præeſſet, ſimul vero liberos ejus, & paterni generis, & propinquitatis gradu ſe proxime contingentes, quoſque heredes ſcribere deſtinaverat, ipſe litteris, moribuſque rectius informaret. At præter exſpectationem ſcitam ei puellulam uxor peperit, quam ipſe, matris memor, Hippolytam nuncupavit, eduxitque liberaliter ac pudenter, tempeſtiveque honeſto locupletique I. C. Franciſco Antonio Ruſſo collocavit; atque magnopere adamavit, non tam quod unica, quam quod eximio docilique eſſet ingenio; ita ut ab omnibus

bus amaretur, & Serai Tulliola vulgo diceretur. Quoad igitur ipſe vixit, nihil ei jucundius fuit Hippolyta & filiis ejus. Cumque fatali caſu primulo ejus filio variolarum inoculatio (quæ hodie familiaris eſt) mortem attuliſſet, tanto Franciſcus dolore percuſſus eſt, ut inoculationis auctoribus maledixerit. Quare Hippolytam sæpiſſime viſebat, & longos cum ea ſermones ſerebat, & ſenectutis ſuæ ſolatium deliciumque appellabat.

Sicut autem Tozzio, Portioque apud externos populos fama ſucceſſerat Cyrillus; ita huic ipſe doctrinæ eruditioniſque opinione ſucceſſit. Quotcunque igitur nobiles Viri e Gallia, Britannia, Germania ægroti Neapolim, cæli ſalubritare illecti veniebant, unum Seraum adibant, ejuſque conſiliis ſtabant. Non raro etiam per epiſtolas conſulebatur, & plerunque, præſertim vero ſi a Gallis Germaniſque exquireretur, latine reſpondebat. Inſuper quibuſcunque Neapoli vel in Galliam, vel in Britanniam, vel in Germaniam, vel in Hiſpanias proficiſcentibus, tuendæque ſanitatis regulas poſcentibus, ſingulorum temperamentis, vitæque ratione propoſitis, recte prudenterque vivendi præcepta accurate breviterque ſcripto ſuggerebat. Itaque ſi, cæli victuſque mutatione, in morbum delabebantur, earum regionum medicis, corporum præmiſſis temperaturis, curandi ratio certior ac facilior reddebatur. Plures hoc pacto celebriores externos medicos per litteras novit; quorum non paucos commercio litterarum ſibi devinxit, quos inter Joannem Pringlium medicum & philoſophum Britannum clariſſimum; cujus ali-

Digitized by Google

aliquot nec breves, nec levis argumenti epiſtolas legendas mihi dedit humaniſſimus Franciſcus Antonius Ruſſus noſtri gener. Ex quibus inter alia colligitur, magnam de Serao Pringlium opinionem habuiſſe: ſiquidem nonnulla, quæ modeſte Seraus in ejus de morbis caſtrorum commentariis notaverat, tam æquo tulit animo, ut ei gratias etiam egerit; & anteloquium, quod italicæ operis ſui verſioni noſter addidit, impenſe, ut ratio poſtulabat, laudavit. Sed antequam Pringlio noſter perſpectus eſſet, tota jam Italia celebrabatur, in primiſque Romæ, Bononiæ, Patavii, & Florentiæ magni fiebat. Romæ amicitiam junxerat cum Carolo Majello (de quo ſupra dixi) & cum Antonio Leprotto, medico & philoſopho præſtantiſſimo, Benedicti XIV. P.M. medico cubiculario; & cum Cardinali Valente Gonzaga, ejuſdem P. M. a Secretis, Viro ſapientiſſimo: Bononiæ omnes fere nobiliſſimi ejus Gymnaſii profeſſores, & Civitatis medicos, in primiſque Franciſcum Mariam Zannottum, Academiæ Benedictinæ a ſecretis, Virum litteratiſſimum ſibi conciliaverat: Patavii cariſſimus erat J. Bapt. Morgagno, Viro ætatis ſuæ in anatomicis, medicis, & philologicis, omnium judicio celeberrimo (cujus perplures ad noſtrum humanitatis officiique plenas epiſtolas evolvi): Florentiæ Antonium Cocchium philologum, philoſophum, criticum, medicumque ſummum, amiciſſimum habuit. Præclarum quoque de noſtro judicium fecit Cl. Albertus Haller, eruditiſſimum ſcriptorem appellans. Fuſius autem, & honorificentius ejus meminit Nobiliſſimus Gerardus van Swieten, Imperatricis Mariæ Tereſiæ totiuſque

Au-

Auſtriacæ Domus Auguſtæ princeps intimuſque cubicularius medicus, idemque S. R. I. L. Baro; cujus incredibili gaudio noſter anno MDCCLXVIII. Mariæ Carolinæ Reginæ primum, deinde anno MDCCLXXVIII. Ferdinandi Regis intimus medicus cubicularius & Regni Archiater creatus eſt. Pariſios etiam noſtri famam pervaſiſſe nobiliſſimi Viri, qui Neapoli Pariſios regiæ legationis apud Potentiſſimum Galliarum Regem munus obituri proficiſcebantur, Neapolim reverſi teſtificati ſunt: quamquam publico Pariſienſium doctiſſimorum profeſſorum teſtimonio luculentius id infra probabitur. Adhæc Cl. S. A.D. Tiſſot, cum anno ſuperiore (paulo ante, quam noſter fato concederet) Neapolim veniſſet, ejus maxime Viri de facie noſcendi (cujus ingenium doctrinamque e ſcriptis jamdiu noverat) cupiditate ſe flagrare dixit. Atque externis hiſce fama operibuſque illuſtrium auctorum teſtimoniis, magnum addit pondus patrium ipſum Lyceum; quod, ut ſemper, ita ejus præſertim ætate, doctiſſimis ornabatur profeſſoribus, ut Nicolao Capaſſio; Alexio Symmacho Mazochio (qui unus omnium inſtar eſſe poterat); Blaſio Troyſio; Joanne Baptiſta Vico; Marcello Papiniano Cuſano; Franciſco Rapolla; Joſepho Cyrillo; Antonio Fuſco; Nicolao & Petro Martinis, fratribus; Mario Lama; Antonio Genuenſi; aliiſque majorum gentium litteratis Viris: qui etſi ſuum quiſque locum pro dignitate, ac ſine invidia obtrectatioque tuebantur; tamen omnes Serai doctrinam, ſapientiam, acumen, & eloquentiam prædicabant. Lyceo concinebant ceteri eruditorum ordi-

di-

dines civitatis, Clerus, Togati, Curiales, Medici; &, quod notatu dignius eſt, nobilitas, quæ ejus conſiliis in morbis carere nefas eſſe exiſtimabat.

Quæ licet noſtri ingenium, eruditionem, ſcientiamque ſatis oſtendant; e re nihilominus fore arbitror, monumentis, quibus in poſteritatem ipſe ſibi conſuluit, uberius id confirmare. Non raro enim accidere ſolet, ut nativa dicendi facultate, aut amicorum gratia, aut ſecunda quadam inexplicabili rerum conſpiratione (quæ fortuna dicitur) nullis ingenii doctrinæque ſubſidiis, nomen quis adinveniat, quod emunctæ naris æqualibus riſum movet, & poſteritatem vulgari fama in errorem inducit.

Anno MDCCXXXIII. IV. Kal. Febr. cum annorum eſſet XXXI. Cæleſtini Galiani Archiepiſcopi Theſſalonicenſis, tum Lyceo Præfecti, Viri ſummi, auctoritate elegantiſſimam latinam orationem pro ſolemni ſtudiorum inſtauratione compoſuit; quam, quidquid cauſæ fuerit, non recitavit, edidit tamen, nobilique epiſtola inſcripſit *Ferdinando Comiti Harrachio*, *Aloyſii Thomæ* Regni Neapolitani Proregis filio. Ac meo, quale id cunque ſit, judicio, erudita, magnifica, & ingenii doctrinæque luminibus referta eſt oratio; qua ab homine XXXI. annos non excedente, atque in medicinæ phyſiologica parte in Lyceo tradenda magnopere tum occupato, ornatior ac ſapientior concinnari non poterat. Scio quoſdam eſſe, qui ſubtiliora philoſophica, & a communi ſenſu captuque aliena deſiderent in orationibus. Sed iſti, ni fallor, quid oratio, quid philoſophica diſce-

pta-

ptatio ſit, ignorant. Præter hæc cum oratio ſuaſoria (cujuſmodi iſtæc eſt, de qua loquor) adoleſcentes ſpectet, eiſque ad bonarum artium litterarumque ſtudium potiſſimum excitandis inflammandiſque comparata ſit; rationibus maniſeſtis, & in ſenſus, ut ita dicam, pene incurrentibus, non ex abſtruſis obſcuriſque philoſophiæ locis petitis uti debet. Quod cum philoſophi ſeu contemptu, ſeu ignoratione humaniorum litterarum exſequi nequeant, ubi ab arctis cancellis ſuis minimum digrediantur, inepti, aridi, incomptique fiunt. Noſter autem Ciceronis orationem XXVI. *Poſt Reditum Ad Quirites* imitandam ſibi propoſuit, ſed ingenioſa illa & ſollerti imitatione, quæ inventionis gloriam ſuperat, & a Cicerone, Quinctiliano, ceteriſque dicendi magiſtris, tironibus magnopere inculcatur. Conſulto igitur noſter orationem ſuam in vulgus manare voluit, quo doctorum hominum judicio, jure, an injuria rejecta fuiſſet, ſtatueretur. Modeſtiſſimus autem Vir tanta animi æquitate repulſam illam tulit, ut in ipſius nuncupationis calce dicere veritus non ſit: *Ceterum quodcunque Tuum* (Ferdinandi Harrachii ſcilicet, cui oratio dedicata fuit) *de ingenio meo, quodcunque aliorum judicium hujuſce orationis editionem conſecuturum ſit, æqui boni que facio: nam neque ulla mihi quæſita inde laus eſt; neque nullus, opinor, ab arte quam profiteor* (h. e. medicina) *apud æquos cenſores veniæ locus erit, quæ cum humanioribus hujuſmodi ſtudiis non eſt ſane conjunctiſſima. Satis ſuperque ſit, ſi mea cunctis volun-*

tas

tas officiumque probetur : Te quidem certe , quæ Tua humanitas eſt , id minime repudiaturum , certo ſcio . Scilicet maluit Vir modeſtiſſimus ſuæ in humanioribus ſtudiis infantiæ , quam vel invidiæ, vel ambitioni aliorum repulſionis illius cauſam tribuere . Oratio tamen , ut dixi , elegantiæ , ingenii , eruditionis , artiſque plena eſt. Eodem autem anno , ipſiuſmet Præfecti imperio, egregius Juvenis aliam orationem compoſuit, diſſimiliſque argumenti, quam recitavit XIV. Kalend. Novembris , & Regiæ Cancellariæ Regentibus dicavit . Sane vero , niſi feraciſſimo ingenio , & multiplici ſolidaque doctrina præditus , & ab ineunte adoleſcentia Ciceronis ſtudioſiſſimus fuiſſet, qui tam exiguo tempore diſſimilis argumenti eadem ſuper re binas orationes conſcribere potuiſſet? Quas ſi maturiore ætate relegendi poliendique tempus habuiſſet , omnibus numeris abſolutas , & imitatione dignas reliquiſſet . Qualeſcunque vero ſunt , legi & commendari debent . Quæ prior, niſi me mea fallit opinio , quæ cenſorum judicio rejecta fuit , poſteriore , quam ipſi probarunt, cultior , doctior , ſplendidior , & magnificentior mihi videtur .

Anno MDCCXXXVIII. Sanctus Cyrillus , Nicolai ex fratre nepos , patrui quadriennio ante, h. e. anno MDCCXXXIV. ſublati, conſilia medica, quorum ſupererant exemplaria , in unum collecta , Seraique ſtudio digeſta , tribus voluminibus quartæ , ut ajunt, formæ , publicavit, & Franciſco Boncorio patrui item diſcipulo , Carolique Borbonii Medico cubiculario , Regnique Neap. Archiatro nuncupavit . Poſt nuncupatoriam Sancti epi-

epiſtolam, in primo volumine duæ noſtri occurrunt opellæ: præfatio italica ad lectores (ut ſermoni, quo ſcripta erant conſilia Cyrilliana, mos gereretur); & Vita Nicolai Cyrilli latina; quam, prius quam de conſiliorum medicorum evulgatione quidquam præcepiſſet, ipſe conſcripſerat, ſeorſum editurus. In calce vero tertii voluminis latinum alterum opuſculum reperitur, quod itidem ante confecerat, & Antonio Leprotto (cujus ſupra injecta fuit mentio, & iterum fiet infra) hoc titulo inſcripſit: *Pro Nicolao Cyrillo Vindiciæ Adverſus Lipſienſium Reſponſionem. Ad Virum Ampliſſimum Antonium Leprottum Intimum Cubicularium atque Archiatrum Pontificium*. De quibus ſingillatim brevi dicendum eſt. Præfatio quidem nihil habet commune cum ceteris præfationibus, quæ libris de induſtria laudandis præmittuntur. In hac noſter cauſam explicat, cur Nicolai Cyrilli conſilia medica ederentur, utilitatem oſtendens, quam ex eorum lectione noſtrates, maxime juniores, medici capere poſſent; tam ſi planum, dilucidum, preſſum, nec rudem, nec nimis exquiſitum elaboratumque italicum ſtilum; quam ſi prudentem moderatamque in ægrorum curationibus philoſophandi rationem noſſe vellent. Deinde ſubjicit methodum, quam in medicis relationibus legendis Cyrillus ſequebatur: nimirum cauſas, ſigna, & ſymptomata morborum lineolis ſubnotare; eo ſcilicet conſilio, ut ſecundo, tertioque, ſi opus eſſet, illas relegendo, eorum, quæ potiſſima erant, facilius reminiſceretur. Poſt ordinem docet, quo laudatus auctor hiſtoriam morbi ſum-

matim colligebat, & quo utebatur, ſententiam ſuam propoſiturus. Et quamquam, ut ingenuum cordatumque Virum decebat, fatetur, Cyrilliana conſilia ejuſmodi non eſſe, ut ab ipſorum lectione præclari penitioriſque aliquid in arte diu exercitati diſcerent: ſive quod non ea mente illa ſcripſerit, ut manarent in vulgus: ſive quod Vir doctiſſimus aliter e cathedra diſſerendum, aliter ægrotis conſulendum eſſe crederet; optime quidem noſter animadvertit, ex celebrioribus medicis omnibus, quorum ad ætatem ſuam uſque italice perſcripta exſtarent conſilia medica, unum Cyrillum eſſe, qui neque plus æquo in re ſeria floſculos legeret, neque (quod in omni orationis genere turpe eſt) horriditate lectores abſterreret. Quos autem ſcriptores alterutro vitio laborantes ipſe notare in animo habuerit, mihi haud obſcurum eſt, qui ab ipſo non ſemel audierim; ſed cum ipſe reticendos exiſtimaverit, idem mihi quoque faciendum putavi. Tantum addo, apud æquos judices longe pluris fieri Cyrilli conſilia ſimplici, ſincera, & fluente, ac neque neglecta, neque magnopere exquiſita oratione expoſita, quam aliorum nimis compta, & artis fucique pleniora. Poſtremo noſter, ut Cyrillum ab eorum criminationibus vindicaret, qui *Fermentiſtarum* ſectam, quam ille amplexus tutatuſque fuerat, improbabant; ſapienter adjungit, medicinam non a ſubtilibus philoſophorum inquiſitionibus, ſed ab experimentis & obſervationibus primum ortam, ſubinde novis aliis experimentis & obſervatis, vulgari ratione connexis, adoleviſſe. Itaque ſeu quis calido innato & humido

ra-

radicali veterum, ſeu Galenicis facultatibus (quæ, non ſecus atque nuperrimorum phyſicorum attractio & repulſio, vis magnetica & electrica, aliæque, ignotis cauſis deſignandis perbelle reſpondent) ſeu chemicorum arcanis vocibus, ſeu ingenioſis mechanicorum loquendi formulis uti malit; eodem tamen redire ſummam: diverſarum namque ſectarum medicos, ſi morborum hiſtoriam, adeoque ſigna & ſymptomata comperta habeant, diſſimili loquendi ratione, plerunque in dignoſcendis curandiſque morbis idem plane ſentire atque præſcribere. Quod quanti judicium ſit, is aſſequetur, qui in philoſophando, ac medendo ætatem conſumpſerit. Atqui noſter cum annorum vix eſſet XXXVI. veritatem hanc maximi in medicina facienda momenti, quamque perpauci in ſenectute vix noſſe valent, maturrime perſpexit, ac luculenter explicuit. Præfatio ſcripta eſt accuratius, limatius & ſplendidius, quam Cyrilliana conſilia, argumento ſic poſtulante; ſed quam grandior, & ſcribendi peritior, paulo redundantiorem tumidioremque judicaſſet. Ceterum noſter, ut univerſa eruditorum natio noſtra id ætatis latino potius, quam italico ſermoni addicta; cum ad hunc revertebatur, latinæ orationis conſtructionem & proprietates preſſius ſequi ſtudens, inflate, intorte, involute, obſcureque ſcribebat & loquebatur. Noſter autem natura ad magniloquentiam comparatus, tam ſi gravia & ſeria, quam ſi levia & jocoſa tractaret, plenior, atque ornatior erat. Adde huc, quod in ea incidit tempora, quibus noſtrates politiores homines uſque adeo etruſci deſiti antiquatique ſermonis erant

amatores, ut levius putarent tenebras rebus offundere, quam in etruſci ſermonis ſuperſtitioſas vanaſque regulas vel minimum peccare. Cui rei documento ſunt Leonardus Capua, & Alexander Richardus; illuſtres quidem ambo ſcriptores, ſed nimis elaborata difficilique oratione legentibus plane odioſi. Quod tenebricoſum, & infacetum ſcribendi genus, ut alii devitarent, in contrarium barbari abjectique ſermonis vitium imprudentius incurrerunt.

Cyrillus igitur mediam inter hos viam inſiſtens; perſpicuitatis tamen gratia, orationis nervos ſic incidit, ut humilior, quam par fuerat, evaſerit. Quod in eo vitium vel ideo gravius viſum eſt, quod is latine cum graviter eloquenterque, tum vero candide ſcriberet. Noſter autem ut Cyrillianæ evidentiæ robur aliquod conciliaret, ad ſuperiores illos accedens (natura enim, ut dixi, ad eloquentiam ducebatur) paulo turgidior & artificioſior juvenis factus eſt. Uſu vero atque ætate ita ſe correxit, ut in quoque orationis genere excelluerit.

Cyrilli vita, abſolutum ſui generis, ac perfectum opus eſt. Vel enim locutio, vel nitor, vel ordo, vel rerum delectus, vel æquabili tenore fluens oratio expendatur, omnia recta, convenientia & propria reperiuntur. Ac niſi auctoris amor fraudi mihi eſt, perpaucas (ſi a Græcis Latiniſque vitarum ſcriptoribus recedas) poſterorum memoria dignas Cl. hominum vitas legiſſe memini, quæ cum hac Cyrilli vita a noſtro conſcripta, jure conferri queant. Vulgo quidem id genus vitæ non magni fiunt; doctorum

ta-

tamen hominum judicio, ſi nitide, diſerte, hiſtoriceque, ut oportet, ſcriptæ ſint, pluris, quam multorum ſpiſſa volumina fieri debent. Permultos enim invenies mediocri ingenio (hoc maxime ſæculo, omne genus librorum copia diffluente) qui de quaque diſciplina ſcribant, atque apud ſemidoctorum multitudinem magnum comparent ſibi nomen; perpaucos tamen, qui aut latine, aut etruſce epiſtolam, orationem, hiſtoriam texant, quæ tædio lectorem ab ipſo exordio non afficiant. Quod noſter optime intelligens, nunquam amicorum hortatu vinci paſſus eſt, ut inſtitutiones phyſiologicas ac therapeuticas, quas auditorum gratia compoſuerat & perpoliverat, typis committeret. Ego tamen, qui diligenter illas evolvi, utpote qui ejus vices in Lyceo aliquot annos obierim (quantum dijudicare potui) & pure eleganterque ſcriptas, & ſolida omni doctrina refertas reperi. Erat enim cum inanis gloriolæ contemptor, tum acerrimi vir judicii. Quare ſæpe ſtudioſis adoleſcentibus ſcribendi cupiditate flagrantibus dicebat: plus ab editis libris dedecoris, quam honoris in auctores redundare conſueviſſe. Anno autem MDCCXXXVIII. cum Cl. Alexius Symmachus Mazochius veterem illam formulam *de Dedicatione Sub Aſcia* doctiſſimo commentario ab ſe explicatam, antequam prelo ſubjiceret (qui magnorum virorum mos eſt) noſtro amice legendam dediſſet: noſter vero pereleganti doctrinæque plena epiſtola (quam Mazochius edidit in operis calce) illum erexit, atque ad publicandam confirmavit. Quæ quidem epiſtola ſubacto Mazochii judicio probata, ideo-

que epiſtolæ de D.S. A. adjecta, niſi aliud Serai monumentum exſtaret; una, inquam, hæc epiſtola, qualis quantuſque Vir fuerit, ſatis indicaret. Quam epiſtolam eodemmet anno, quo præfationem in Cyrilli conſilia medica, & Cyrilli vitam, ſcripſit. In qua epiſtola, præter cetera, oſtendit, longe plus laboris, ingenii doctrinæque poſtulare eruditum quodvis commentariolum, quam cujuſcunque diſciplinæ magna volumina: ſed ad Cyrilli vitam revertor.

Merebatur ſane Cyrillus, ut ejus vita ab eximio etiam Viro poſteris traderetur: nam ipſe continente Lycei labore, & medendi, & relationibus medicis undique ad ſe miſſis reſpondendi occupatione diſtentus, non ſatis otii habuit ad ingenii magnitudinem, doctrinæque theſauros ſcriptis patefaciendos. Itaque niſi noſter, qui illum intime noverat, ſcribendique arte commendabatur, ejus vitam recte fideliterque deſcripſiſſet; tanti Viri fama ætatem noſtram non facile ſuperaſſet. Quapropter non injuria quæri poſſet: plus ne doctori diſcipulus, anne diſcipulo doctor debeat. Illud quidem certum eſt, Seraum beneficiorum, quæ a Cyrillo acceperat, adeo memorem fuiſſe, ut illius famæ, quam ſuæ, ſtudioſior fuerit. Nunc igitur ad vindicias, quas pro Cyrillo non minus vehementer, quam pie docteque ſcripſit, veniendum eſt.

Cyrillus bibliopolarum precibus, Michaelis Ettmulleri opera medica illuſtraverat, & pluribus additamentis locupletiora, atque utiliora tironibus reddiderat; ne vero interpres tantum ab doctis Viris haberetur, quædam aut ſuperflua,

aut

aut vulgaria expunxit; quædam correxit; quædam etiam meliora adjecit. Numquam vero Ettmullerum vel aperte, vel aſpere reprehendit; tantum, & modeſte, cum oportebat, tironum gratia, illum aliquoties refutaverat. Ettmulleri autem filius (nam pater deceſſerat) tamquam ſi Cyrillus parentis ſui manes violaſſet, acerbiſſime id ferens, aſperrime in Cyrillum invectus eſt, ſuppreſſo tamen nomine, contumelioſamque cenſuram ſuam Actis Eruditorum Lipſienſium inſeruit. Quod cum reſcivit Cyrillus, etſi diu poſt, qua decebat doctrina & gravitate aggreſſoris audaciam retudit, oſtendens injuria ſe accuſatum, reprehenſum, irriſumque fuiſſe; & Lipſienſibus ipſis Eruditorum Actorum collectoribus cauſam ſuam commendans, eos obſecravit, ut reſponſionem, ſive apologiam ſuam, in Acta tranſcriberent; quo utriuſque rationibus æqua lance perpenſis, rectum de re tota judicium ferretur. Anno poſt Cyrillus interiit, neque Lipſienſes ejus reſponſionem in Acta referre penſi quidquam habuerunt. Contra, neminem Neapoli rati fore, qui Cyrilli partes viriliter ſuſciperet, defunctoque Ettmulleri filio, qui Cyrilli apologiæ non reſponderat; ipſi popularis ſui patrocinium arripientes, ab integro acerbiuſque Cyrillum aggreſſi fuerunt, atque argumenta ab Ettmullero filio primum allata uberius confirmare, & Cyrilli reſponſiones impotentius convellere anniſi ſunt. Quicunque tamen Cyrilli apologiam cum Ettmulleri filii objectis ſerio contulerit, Cyrillo triumphum decernet. Una vero Cyrillo iraſcetur, qui bipliopolarum precibus ſiverit ſe expugnari; & quod utilioribus commentariis tempus

impertire potuiſſet, in repugnando exornandoque Ettmullero miſere perdiderit.

Noſter cum eſſet Romæ, & apud Antonium Leprottum cum eruditiſſimis Viris aliis ad litterarium convivium quadam die conveniſſet, a Leprotto ejus rei certior factus, dolore exarſit. Quod ipſe in latina epiſtola, *Vindiciis* præmiſſa, his verbis expreſſit: *Perculit ea vox me (cur enim negem, aut diſſimulem quod vultus eo tempore ſatis locutus eſt?) planeque concuſſit: nam cum ſemper alias, quæ Cyrillum attingerent; pro ejus in me ingentibus meritis, ad me ipſe pro virili parte pertinere ratus ſum; tum poſt ejus fatum ita mihi tuenda ejus viri jura, atque colenda memoria eſt, quaſi omnis, eo ſublato, in me ſumma negotiorum ejus reciderit*. Neapolim igitur reverſus, Lipſienſium reſponſionem ita graviter ab initio ad finem particulatimque expendit, ut non modo refutaverit, ſed nullum ulterioris reſponſionis reliquerit eis locum. Re autem vera Lipſienſes Ettmulleri patris & filii, ſuorum popularium, amore abducti, æqui limites tranſiluerant. Nam primo Cyrilli reſponſionem in Acta ſua referre noluerunt, contra quam ipſorum Societatis inſtitutum propoſitumque poſtulabat; tum contendente utroque jam vita functo, controverſiæ ſuperſedendum fuit, ne utrumque Ettmullerum contra Cyrillum impotenter tutari ſe voluiſſe lectoribus viderentur. Nam in re litteraria neque nationis, neque populi, neque generis; ſed unius veritatis, aut ejus, quod veritati propius eſt, habetur ratio. Litteratorum enim hominum una eſt natio, una civitas, unus idem-

idemque ordo. Unde merito Socrates commendatur, qui cujas eſſet interrogatus, non Athenienſem, ſed mundanum ſe eſſe reſpondit. Si Cyrillus Ettmullerum ultro, & contumeliis magis, quam rationibus proſcidiſſet, jure quidem Ettmullerus filius, illoque defuncto, quivis e Collectoribus *Actorum Lipſienſium* acerbius reſpondiſſet. Cum vero Cyrillus nihil tale commiſerit, immo ſuis commentariis ornarit; male Ettmullerus filius, peſſimeque Lipſienſes *Actorum* Collectores in Cyrillum ſtilum ſuum acuerunt. Ac ſi cauſas, quæ Ettmullerum filium, illoque exſtincto, Lipſienſes in Cyrillum impotenti rabie armarunt, ſerio quis expendat, injuſtiſſimas ſuperbiſſimaſque reperiet. Vitio enim verterunt Cyrillo, quod non jurarit in Ettmulleri verba, ſed aliquando ab eo diſcreparit, & aliquando obſcuritatis, & inordinati perplexique ſermonis notarit. Quæ omnia ita noſter ſuis Vindiciis diluit, ut accuſatores reos faciat. Nam ſiqua res eſt, in qua cuique liberum eſt ab aliis diſſentire, hæc quidem philoſophia, & medicina eſt. In medicina vero non modo liberum, ſed plerumque etiam neceſſarium eſt ab aliis diſſentire. Nam ſi officii cauſa a veritate aberranti ſcriptori parcitur, medicis, præſertim vero tironibus, errandi; adeoque pro ſanitate mortem ægrotis afferendi facultas præbetur. An vero Ettmullerus pater (qualis qualis is ſcriptor fuerit) in opere tam longo dormitare aliquando non potuit? Denique quis ſibi temperet a riſu, legens, Ettmullerum filium, ejuſque patronos Lipſienſes a Cyrillo contendiſſe, quod neque magnus Plato ab auditore Ariſtotele, neque

ſummi

ſummi quique philoſophi & medici a diſcipulis alumniſque ſuis unquam contenderunt? Ac ne longior ſim, Albertus Haller V. Cl. cum in pleriſque libris, tum vero in commentariis in Boerhaavii phyſiologiam, egregio doctori ſuo perſæpe contradixit. Quin Cl. Gerardus van Swieten, qui ceteroquin, ne latum quidem unguem, a præceptoris placitis diſcedere auſus eſt; in variolarum inſitione apertiſſime diſſenſit. Reliqua, qui tanti fecerit, a noſtri Vindiciis edocebitur.

Anno MDCCXXXIX. Marchio Polenus ſummus mathematicus, idemque (quod perraro uſuvenit) antiquitatis eruditioniſque ſtudioſiſſimus per litteras a noſtro poſtulavit, ut ſpecimen operum ſcriberet Viri Cl. Alexii Symmachi Mazochii, qui ob editum *in mutilum Amphiteatri Campani titulum* præclarum commentarium, magnum ſibi nomen inter ætatis ſuæ philologos acquiſiverat. Noſter igitur Poleno (ſtimulos admovente Morgagno) morem geſſit, ſpecimen concinnavit, & *commentariolum de rebus Alexii Symmachi, Mazochii* inſcripſit; quo, vitæ modo, ejus Viri ortum, patentes, patriam, inſtitutionem, progreſſus in litteris, vitæ genus, munia, mores, & libros, quos ad illud uſque tempus (vivebat enim Mazochius, & annos LV. non excedebat) publici juris fecerat, & quos adumbratos in forulis habebat, expoſuit. Quod ſi, erepto e vivis Mazochio, cui plures annos ſuperſtes ipſe fuit, reliquis longeque pluribus atque utilioribus libris, quos deinde ad extremum ſenium publicavit, plenius reddere potuiſſet; vitam Cl. Viri ab Cl. item amiciſſimoque Viro luculenter accurateque de-

ſcri-

ſcriptam haberent litterarum amatores. At quoniam diu poſt ejus commentarioli ætatem vixit Mazochius, & noſter jam ſeptuagenarius, & longa valetudine graviſſimiſque curis implicatus, a ſcribendo & lucubrando deſtiterat, quæ reſtabant addere nequiit. Affectum igitur opuſculum reliquit, ſed ea ſtili puritate & elegantia, ut cordatus nemo abſolvere ſibi arrogaverit. Cujus commentarioli idem plane ſtilus eſt, atque Cyrilli vitæ, nitidus ſcilicet, gravis, preſſus, æquabilis, venuſtus, qui neque moleſtiam, neque ſatietatem creat; ſed ab initio ad finem ſuaviter lectorem detinet. Inſertum Poleni opera fuit opuſculum tomo V. Supplementi ad Grævium & Gronovium p.XV. §. XXXIII. una cum memorato Mazochii commentario.

Quamquam vero noſter eruditionis & eloquentiæ ſtudio potiſſime teneretur; quotieſcunque tamen de rebus medicis ſcribendi occaſio offerebatur, de eis quoque, maxime ſi cum eruditione atque hiſtoria naturali conjungerentur, ſcribere non dubitavit. Itaque cum Cæleſtinus Galianus Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, Lycei moderator ſapientiſſimus, Academiam Scientiarum inſtituiſſet, celebrioreſque Civitatis mathematicos, phyſicos, medicoſque ejus ſocios delegiſſet, Cyrillo præſide, & noſtro Academiæ a ſecretis cunctorum plauſu, palam renunciatis; dici non poteſt, quantopere noſtrorum hominum ingenia ad augendas provehendaſque ſcientias exarſerint. Tum enim nova Bradley de fixarum aberratione doctrina illuſtrata; tum celebris Leibnitii opinio de *juſta virium menſura* magnis animis

ma-

mathematice ac phyſice ad examen rurſum revocata; tum aquarum medicatarum (quas *minerales* dicunt) quibus Neapolitanus, Puteolanus, Stabienſis, & Pithecuſanus ager abundat, chemica analyſis accuratior facta; tum ſedulior botanicæ navata opera; tum diutius ſervandi frumenti ratio, nec infeliciter, inquiſita; tum alia multa, quæ longum eſſet omnia referre, indagari cœpta ſunt. Certe quidem, niſi Galianus Regis legatus ad Romanum Pontificem Neapoli Romam profectus eſſet; ut ſe dabant initia, de exitu belle ſperandum fuerat. Galianus enim ut omnium liberalium ſtudiorum intelligens erat exiſtimator, ita litteratorum hominum egregius promotor erat & fautor. Sic autem optime conſtituta Academia, Cyrilli obitu & Galiani profectione, paulatim ab inſtituti ſeveritate deſciſcens, ex toto tandem fuit diſſoluta. Illo autem, quamvis non longo, tempore, quo viguit, prodidit diſſertationem de *juſta virium menſura*; analyſim chemicam aquæ ferratæ, ſulphureæ, aluminoſæ (quæ poſtrema *di piſciarelli* vulgo dicitur); de Tarantulæ natura & vi lectiones duas academicas etruſco ſermone ſcriptas; & commentarium de Veſuvii conflagratione, quæ accidit menſe Majo, Anno MDCCXXXVII. de quibus poſtremis tantum, quorum noſter auctor fuit, ſpecimen a me dabitur. Ordiar a Tarantula.

Tarantula indigenum Apuliæ animalculum e phalangiorum genere Appulis habitum, mira prorſus vi eis pollere creditur: nimirum fervido anni tempore e terræ latibulis (in quibus tota hieme deliteſcit) erumpere, & ſeu ſponte ſua,

ſeu

Digitized by Google

ſeu imprudenter preſſam, homines mordere, morſuque ſuo veneni quid in ſanguinem infundere; cujus veneni ea vis eſt, ut homines protinus ſenſus, vires, motum amittant, ac ſopore & anxietate tanta corripiantur, ut mortuis ſimiles videantur; & niſi celeriter muſicis concentibus, eiſque acutis, concitatis, diuturniſque excitentur, nonnunquam, tamquam teterrimo veneno exſorpto, interire; aut ſi mortem effugiant, miſeram triſtemque vitam ducere. Muſicis vero concentibus, ejuſque moduli, qui dictus eſt, excitantur, oculos aperiunt, liberius reſpirant, ſurgunt, effrenateque tandiu ſaltant, donec in profuſiſſimum ſudorem reſolvantur, delaſſatique procumbant, placideque obdormiant; & reſumptis viribus, evigilent ſanitati reſtituti. Experientia quoque conſtitiſſe Appuli aſſeverant, non ſatis eſſe, ut a Tarantula demorſi uno die ſaltent; ſed minimum tres dies ſeſe conſequentes ſaltationem iterari debere. Nihilominus quotannis, eodem die, quo primum a Tarantula demorſi fuerunt, in eundem morbum recidere, eodemque muſicæ remedio liberari. Sic primo Appulis, poſt ceteris regni Neapolitani incolis, deinceps univerſis Europæ populis ita perſuaſum fuit, ut medici, phyſici, critici, eruditique omnes totius Europæ & mirum Tarantulæ venenum (quamvis Græcis Latiniſque ignotum) & longe mirabilius muſicæ remedium, ut certum ratumque habuerint. Quoniam inſuper apud veteres muſicam affectibus quibuſdam animi, & quibuſdam etiam doloribus leniendis utilem eſſe legerant; rationem excogitarunt, qua pariter a Tarantula demorſis muſica

me-

mederetur. Neque intellectu difficilis ratio viſa fuit: proprium enim muſicæ eſt, prout ejus varius eſt modulus, varie, vel ad hilaritatem, vel ad triſtitiam, vel ad commiſerationem, vel ad odium, vel ad iram, vel ad affectus alios animum commovere. Animum vero in corpus, adeoque ſive in ſpiritus (ſiqui ſunt) ſive in ſanguinem & humores agere, æconomiamque corporis immutare, dubium nemini eſſe poteſt. Cum igitur muſici concentus, iique potiſſimum acuti & concitati, ad ſaltandum a Tarantula demorſos concitent; ſaltuſque vehemens & diuturnus cum ſingulas corporis partes valde concutit, tum ſudorem prolicit; haud mirandum eſſe inquiunt, ſi virus a Tarantula morſu in ſanguinem infuſum, magna ſolidarum liquidarumque partium agitatione extricetur & cum ſudore effundatur. Huc redit ſumma morbi Appuli & curationis ope muſicæ. Atque utinam tam miti, ſuavique, & celeri remedio ceteri quoque morbi curari poſſent! Quantopere autem Aſclepiades lætaretur, ſi viveret, atque in Apulia diriſſimum morbum *celeriter* (ut ipſi erat in votis) *tuto, & jucunde* muſica curari certior fieret! Quantopere vero efferam illorum audaciam exſecraretur, qui ut morbos depellerent, ægrotorum corpora flagris cædere, ſibi in animum induxerunt? Dolendum tamen eſt, eorum ætate, qui de morbo a Tarantularum morſu profecto ſcripſerunt, vim electricam nondum perſpectam fuiſſe. Nam, hac vi poſtremis temporibus detecta explorataque, omnes omnino naturæ effectus nullo negotio explicantur.

Multa

Multa præterea de ſymptomatis, quibus a Tarantula demorſi (ſi Appulis fides habenda eſt) affici ſolent; eaque, ſi incredibilem ſaltandi potentiam, muſicorum concentuum vi excitatam, ex eaque morbi curationem excipias, inter ſe diſcrepantia ab auctoribus allata, ne longius, quam ſpeciminis ratio poſtulat, progredi videar, libenter omitto.

Noſter igitur argumentum hoc tam accurate, ſubtiliter, docte, erudite, hiſtorice mediceque tractat, ut nihil ſupra. Tantum in eo peccaſſe dici poſſet, quod prolixius, accuratiuſque, quam neceſſe fuerat, tractaverit! Quamobrem ſæpe orationis filum abrumpere cogitur, lectoremque ad exitum feſtinantem, remoratur, & velut ab exodio ad prologum revocat. Quod tamen ita ſollerter facit, ut dedita velut opera, ne ſententiam ſuam ſtatim aperiat, facere videatur. Ac niſi magnopere fallor, eo maxime conſilio id ab ipſo factum eſſe puto, ut eloquentiæ eruditionique, quibus maximopere trahebatur, liberius obſequeretur. Ceterum quæſtionis genus ipſum, & academicus ſermo non patiebantur nimis preſſum geometrarum & philoſophorum ordinem. Poſtremo tot ſcitu pulchra eruditioniſque plena interea effundit, ut lectoris tædium large compenſet.

Diſputationem auſpicatur a Tarantulæ nomine, qua ſuper re egregium ſe philologum oſtendit. Tranſit deinde ad Tarantulæ formam, magnitudinem, fabricam, colorem, vitæ genus, & terræ regiones, in quibus degere viſa eſt. Tum quo nomine a veteribus deſcripta fuerit, de-

detegit. Poſt gradum facit ad ætatem, qua morbus hic Apuliæ peculiaris animadverti cœperit. Quod ex hiſtoricis monumentis recentiſſimum evincit, medium ſcilicet ſæculi xv. Aeræ vulgaris. Scriptores enim tum Appulos, tum Neapolitanos, tum externos, qui de Tarantulæ morſu, & miro inde exorto morbo, ejuſque per muſicam & choreas curatione locuti ſint, eo tempore antiquiores non reperit. Poſthæc ad morbi hiſtoriam progreditur, eamque ex accuratioribus ejus ſcriptoribus colligit. Tum ex diſſimilibus, nec raro oppoſitis inter ſe accidentibus, quibus morbus hic ſtipari ſolere ab optimis ſcriptoribus dicitur, primam de vi morſus dubitandi cauſam conjicit. Inde ab Epiphanio Ferdinando Celeberrimo ætatis ſuæ medico, & in Apulia nato, in eaque medicinam diu profeſſo, nullumque a Tarantula demorſum obiiſſe, plurimos vero per ſe, ſine remediis, & ſine muſica & ſaltatione convaluiſſe, affirmante, ſecundam eo de veneno dubitandi cauſam promit. Poſt a Georgio Baglivo non obſcuri nominis medicinæ ſcriptore, qui e Dalmatia in Apuliam puer delatus, ibique diu commoratus fuit, & ſatis elaboratum de Tarantulæ natura & viribus commentarium edidit, tertiam de Tarantulæ veneno dubitandi cauſam deſumit: inquit enim Baglivus (quod ante ipſum nemo dixerat) in Apulia non modo Tarantulas, ſed etiam ſcorpiones morſu ſuo virus infundere. Quod ſi verum eſt, rectius ſcorpionibus, quam tarantulis venenum illud tribuendum eſt: conſentientibus enim medicis ſcorpiones mordaces & virulenti ſunt. Atqui ſcorpiones ut nuſ-

quam

quam non reperiuntur, ſic in Italia frequentiſſimi ſunt; rectius igitur quod Tarantulæ morſui venenoque vulgo referri ſolet, ſcorpionibus tribui debet. Attamen inauditum, ſcorpionum morſui venenoque muſicam alibi, quam in Apulia opitulari; pariterque inauditum, ictos a ſcorpionibus ad ſaltandum cogi. Quartam dubitandi cauſam a Ferdinando & Baglivo repetit; qui Tarantulæ morſum in Apulia ideo venenatum eſſe dicunt, quod hæc regio æſtate præcalida ſit. Quæ ſi vera eſſet virulenti Tarantularum morſus cauſa; in Sicilia & Africa, quæ Apulia fervidiores ſunt regiones, æſtivo tempore mordaciores virulentioreſque forent Tarantulæ, ſecus atque experientia docet. Quintam dubitandi cauſam ab eiſdem laudatis auctoribus deſumit, teſtantibus, univerſim Appulos ad melancholiam proclives eſſe; cui vincendæ veteri quodam gentis more, ad muſicam & choreas confugere. Quæ melancholiæ curandæ ratio apud Appulos adeo familiaris & certa perhibetur, ut quicunque ſeu labore, ſeu alia quavis cauſa humi jacere & ſenſibus deſtitui deprehendatur, a Tarantula demorſus credatur, & muſica in vitam revocetur. Sextam dubitandi cauſam inde colligit, quod neque hiſtorici, neque medici, neque ipſa plebs Appula (quæ fere tantum patrio morbo corripitur) mentionem faciant loci a Tarantulâ demorſi, & antidoti demorſæ corporis parti (velut in ceteris venenatis ictibus fieri ſolet) celeriter impoſiti. Quibus noſtri dubitandi rationibus addi poteſt Richardi Meadii Viri Cl. animadverſio. Hic enim auctor, qui pro Appulorum vul-

gari opinione ſtrenue pugnat, cum de Tarantula (*de Venenis Tentamine II.*) loquitur, hæc habet, quæ melancholicam Appulorum temperiem apprime confirmant: *Aliquid lucis*, inquit, *ad intelligendam naturam hujus veneni affert, quod Apulia Italiæ fervidiſſima pars eſt, verſus Orientem ſita, tota æſtate raro pluviis calorem temperaturis irrigua; adeo ut incolæ aerem ſpirent, pene dixerim, qualis ex candentibus fornacibus prodit. Itaque temperamento ſunt ſicco, quaſi aduſto; quod apparet inde, quod ſolent eſſe gracili corpore, pathematibus fortibus* (*obnoxii*, quæ perneceſſaria vox deeſt in omnibus, quas evolvi, editionibus) *impatientes, ad rem gerendam celeres, ingenio celeri, expoſiti inflammatoriis morbis, phrenitidi, melancholiæ &c. ſimilibuſque, ut plures in hac ſola regione ſtulti* (*ſtultos* male confundit cum iracundis & calidis; ſive, ut medici loquuntur, cholericis. Non enim *ſtulti*, ſed ingenioſi acreſque ſunt Appuli, & ad iram, quæ furoris initium eſt, proclives) *ſint, quam in ceteris omnibus una Italiæ locis. Quin quæ in aliis regionibus levis eſt melancholia, in hac ad maximam vehementiam perducitur: feminæ enim chloroticæ eadem fere, quæ Tarantati patiuntur, eodemque modo ſanantur: parique modo ſcorpionis venenum his locis* (adde *in*) *effectibus & curatione congruit veneno Tarantularum.*

Obſervationem hanc maximi in hac quæſtione momenti didicerat Meadius ex Valletta & Baglivo, ante quos Epiphanius Ferdinandus luculentius fuſiuſque propoſuerat; hoc amplius, quod

me-

melancholici. Appulorum temperamenti cauſam inquirens, in alimenta denſioris acriorisque materiæ (cujuſmodi omnia fere ſunt, quæ in Apuliæ ſolo proveniunt, eam recte contulerat); quæque ut medicis notum eſt, ſanguinem, ceteroſque humores denſiores, acrioreſque gignunt; quæque jamdiu a veteribus *melancholiæ*, ſive nigræ bili alendæ augendæque idonea ſunt. Ex hac autem nigra bile, (quam Boerhaavius ut in naturali ſanoque corporis ſtatu negat, ſic in morboſo gigni affirmat, & probat) ſecundum veteres *melancholicum* delirium exſiſtit. Atque hic verus Appulorum morbus eſt, qui æſtate, cum ingentis aeris ſolique fervore ſanguis in præcordiis accenditur, exacerbatus, ea parit ſymptomata, quæ propria ſunt delirii *melancholici*.

Mirari autem ſubit, Vallettam, Baglivum, & Meadium (ne turbam medicorum memorem, qui quæcunque legunt audiuntque, ſine delectu vera putant) non intellexiſſe, morbum Tarantulæ morſui venenoque ab Appula plebe tributum, a *melancholico* Appulorum ſanguine proxime, remote vero a denſioribus acrioribuſque alimentis ortum ducere. Mirabilius etiam eſt, Meadium, qui inſanos Appulos, hoc eſt furori maxime obnoxios, & feminas *chloroſi* laborantes, *eadem fere, quæ Tarantati* (ut ipſe cum Valletta loquitur) pati noverit, non perſpexiſſe vulgi errorem, Tarantulæ ictui venenoque morbi cauſam tribuentis. Tanta popularium errorum contagio eſt, ut etiam doctiſſimos homines inficiat.

Noſter igitur acutiſſimæ naris vir, peculiarem

hunc Apuliæ morbum non negat; ſed ab Appulorum temperamento progigni cum Epiphanio Ferdinando, & Thoma Cornelio ſtatuit. Error igitur plebis Appulæ in eo verſatur, quod Tarantulas morbi cauſam exiſtimet; quæ tamen a craſſo, acrique & immeabili ſanguine, vi caloris æſtivi fervefacto & qua per præcordiorum nervos, qua per compreſſionem cerebrum oblædente, repeti debet.

Opinionem hanc ſuam primum a Ferdinando, deinde atque expreſſius a Thoma Cornelio explicatam, novis ipſe validioribuſque argumentis confirmare ſatagit. Affert enim, notatuque dignas, duas obſervationes, alteram ipſius Ferdinandi, alteram nobiliſſimi eruditiſſimique Lycienſis (cujus nomen reticet), qui ratione ductus popularem opinionem repudiaverat. Prima eſt: eos plerumque Tarantula ici ſolere, qui diu abſtinent concubitu; quem melancholici ceteris vehementius appetunt. Secunda eſt: ruſticam plebem, in primiſque virgunculas, & ſalaciores mulierculas, hunc in morbum delabi. Ex quibus conficitur, Tarantulæ titulo & ſpecie *melancholicum* delirium, & hypocondriacum hyſtericumque morbum tegi. Ad quod delirii genus veterum Corybantes, & Galli, Fanatici, aliterque olim vocati, non temere rediguntur. Quibus ſi addas, Ferdinandi, Baglivi, Vallettæ, aliorumque teſtimonio, perplures a Tarantulis intactos, eadem perpeti ſymptomata, cum recurrit anni fervor, quæ a Tarantulis demorſi patiuntur; nullus reſtabit dubitationi locus, quin mirus Appulorum morbus a ſanguinis temperie oriatur; eo maxime,

me, quod locuples teſtis Ferdinandus affirmet, plurimos nullo muſicæ ſaltationiſque auxilio liberari. Poſtremo quis adeo plumbeus eſt, qui certiores patentioreſque morbi cauſas cernens, ad virus Tarantulæ, quod neque rationi, neque experientiæ quadrat, & ſine quo idem morbus toties exſiſtit, confugere velit?

Ne vero unis rationibus in re mere phyſica, eaque experimentis definienda contentus fuiſſe videretur; aliquot etiam experimenta in medium affert, quorum alia in hominibus, alia in felibus, in catulis, altilibuſque dedita opera fuerant inſtituta; ex quibus tamen vel nulla, vel perlevis, & ſolius naturæ viribus curabilis ſecuta fuit noxa. Inter hæc illuſtre memorandumque illud jure vocat, quod in ſe cepit Bernardinus Claritius non ignobilis celeberrimi Thomæ Cornelii diſcipulus. Hic de Tarantulæ veneno (quod, utpote Cornelii diſcipulus negabat) forte cum Dominico Sangineto æquali ſuo (ſed craſſiore minerva, & vulgarem opinionem mordicus tuente) diſſerens, eo adductus eſt, ut a Tarantulis in brachio ſe morderi paſſus fuerit. Morſum hæc ſymptomata exceperunt: prima die dolor in minimo ejus brachii digito: poſtridie vulnuſculum in media ſui parte rubellum, circumcirca livens; livorem vero flavus circellus claudebat: tertia die intumuit brachium: quarta tumor evanuit, & una digiti dolor ceſſit; perſtitit vero rubor & livor. Inſequentium quindecim dierum ſpatio cruſtula nigra in vulnuſculi loco manſit; qua evulſa, ſucceſſit altera; intereaque livoris flavedinisque aliquid ſubſtitit. Nihil vero eorum, quæ Taran-

tulæ morſum in Apulia ſequi dicuntur, Claritius expertus fuit. Contra integre convaluit, & neque ſopore; neque præcordiorum anxietate; neque ullo imaginationis vitio correptus eſt; neque ſaltandi cupiditatem, idoneo etiam adhibito ſono irritatus, animadvertit. Tantum (quod Bulifonius, vulgaris opinionis defenſor acerrimus, de ſuo fortaſſe adjunxit): menſe poſt Claritius neſcio quo morbo (nam explicari is debuiſſet) tentatus, patriam repetivit, ubi paullo poſt confirmatus, valens Neapolim reverſus eſt; neque in poſterum, quoad vixit, eorum quidquam, quæ a Tarantula demorſi perferre dicuntur, in ſe obſervavit. Quod Claritii experimentum in corona eruditiſſimorum Civitatis Virorum captum (velut appoſite noſter advertit) majoris ponderis eſt, quam vel millenæ plebis Appulæ contrariæ narrationes. Baglivus a Bulifonio hujus experimenti certior factus, mentionem ejus fecit in ſuo *de Tarantula* libro, cap.8. hiſtoria XI. Ex quo experimento conſequitur, Tarantulas irritatas, aliquando mordere, ſed vel nullo, vel exiguarum virium veneno inficere: nam Claritius nullo vel interius, vel exterius alexipharmaco adhibito, naturæ ſponte ſanus evaſit: tum quale id cunque ſit Tarantulæ venenum, haud atrocia & lethalia illa ſymptomata inferre, quæ prædicat Apuliæ plebecula: deinde a Tarantula demorſos ſine muſica ſanari: poſtremo a muſica ſaltandi cupiditatem non concitari. Neque ullius momenti eſt quod addit Bulifonius, Claritium ab experimenti die, inſequenti menſe, neſcio quo morbo correptum fuiſſe, ideoque in patriam remigraſſe. Nam & de Bulifonii fide, utpote vul-

garis

garis opinionis ſectatore, non injuria dubitari poteſt: & quamvis morbus hic a Tarantulæ veneno ortum habuiſſe dicatur; tamen levis, & nativi aeris reſpiratione celeriter depulſus fuit, & ſine muſica, ſaltu, & ſudore. Quod ſi Claritius alia qualibet cauſa ſeu ad illam uſque experimenti horam in corpore latente, ſeu poſt conſecuta obiiſſet; nulla juſta ſuſcepti ex Tarantulæ morſu veneni concluſio inferri poterat, niſi & accidentia illa ſuperius memorata ſuperveniſſent; & Claritius ſe muſica refici, & ad choream provocari ſenſiſſet. Falſa igitur & plane ridicula vulgaris illa opinio eſt, ſingulis annis, morſus die revertente, ab integro latens virus reviviſcere, eundemque morbum, eademque ſymptomata regignere. Veri namque ſimilius eſt, melancholicos, æſtate recurrente (quo anni tempore vel ſani in phreneſim, & maniam aguntur) ob calorem rurſum delirare, quam ob fictum Tarantulæ venenum reviviſcens. Lues enim veneria, morbique alii, qui ſtatis temporibus recrudeſcunt, cum Tarantulæ venenatorumque aliorum animalium morſibus perperam comparantur. Veneria namque lues, ſi recte tempeſtiveque curetur, non renaſcitur, niſi nova contagione contrahatur. Nec enim vel medicis, vel ægrotis credendum eſt, qui opinantur, ſemel contractam, numquam ex toto exſtingui; ſed tota fere vita ſtatiſque temporibus exſuſcitari. Cujus erroris duplex eſt cauſa: altera, quod tum vere recrudeſcit, cum non radicitus primum profligatur; altera, quod pudoris cauſa perſæpe ægroti novam contagionem reticent occuluntque. Alii

vero morbi, ut comitialis, ideo ſtatis temporibus redeunt, quod eiſdem quoque temporibus cauſæ, quæ primum illos excitarunt, iterum oriuntur; iteratiſque actibus ſolidæ partes ita vitiantur, ut facile dein quacunque levi cauſa oblædantur. Nemo tamen dixit, vel fando audivit, hominem vipera, ſcorpione, veſpa, alioque venenato animale demorſum, ſi opportune curatus ſit, ab integrò ſingulis annis, ſtatiſque temporibus, niſi rurſum mordeatur, eadem ſymptomata experiri. Quam vero late pateat iſthæc noſtri doctrina, nemo non intelligit.

Omnibus igitur recte putatis concludit noſter, Tarantulæ morſum, ſi corpus eis humoribus præditum ſit, qui per ſeſe delirium *melancholicum* facerent, tamquam equo currenti calcar addere; ſin minus, nihil amplius, quam quod Claritius in ſe expertus fuit, efficere.

Poſthæc muſicæ vires medicas, & quatenus, quibuſque morbis prodeſſe queat, definit. Veterum loca, in quibus ad dolores & venena laudatur muſica, erudite ac phyſice inquirit, vulgique errores, antiquorum auctoritati nimium addicti, detegit & refellit. Objectis a vulgaris opinionis defenſoribus ita reſpondet, ut omnibus, qui veritatis ſtudioſi ſunt, ſatisfaciat. Eruditio, critice, eloquentia, etruſcique ſermonis puritas ſatis commendari non poſſunt. Cur vero tertiam lectionem, qua ſententiam ſuam plenius, noviſque Claritiano ſimilibus experimentis confirmare pollicitus fuerat, quamque ſcribere occœperat, abſolvere noluerit, mihi obſcuriſſimum eſt. Attamen quod ad quæſtionis nodum pertinet, ſatis ſuperque prima

& ſe-

& ſecunda lectione ſolvit; ſanioreſque phyſicos, quos inter Morgagnum, Hallerum, Pringlium, & James (Lexici medici auctorem) in ſuam ſententiam pertraxit. Unum, Cl. alioquin Virum, Meadium, qui vulgarem opinionem jam pridem amplexus fuerat, pervincere non valuit. Quod Meadio pervicaciæ (in tanto Viro non excuſandæ) notam quandam inuſſiſſe, æquus quilibet quæſtionis æſtimator fatebitur. Apud nos quidem, ex quo noſtri auctoris lectiones de Tarantula prodierunt, ſenſim luſus, quos æſtivo tempore edebant Tarantula demorſi, rariores facti, penitus deſierunt. Hactenus de Tarantula. Ad Veſuvii conflagrationem, quod erat alterum, progredior.

Veſuvius, qui ſeptem annos pene quieverat, anno, ut dixi, MDCCXXXVII. iterum violenterque conflagravit. Quæ res Carolum Regem, qui tertio anno ante Neapolim venerat, non mediocriter movit ſpectaculi novitate. Quamobrem Cæleſtino Galiano Lyceo Præfecto mandavit, ut ab Academia (cujus ſupra memini) de illo naturæ phænomeno quam accuratiſſime ſcriberetur. Galianus vero, qui noſtri ingenium, doctrinam, atque ſcribendi artem optime noverat, hoc ei negotium dedit. Academiæ tamen nomine, inſequenti anno commentarius italice prodiit; tantaque externorum phyſicorum voluntate exceptus eſt, ut eodem anno Pariſiis gallice redditus, Sereniſſimo Delphino fuerit nuncupatus. Mox Caroli juſſu latine italiceque magnificentius excuſus fuit. Id operis occaſionem fortunamque ſpectat. Nunc de ejus pretio paulo fuſius dicendum eſt.

Ac primo illud notabile hic habet commentarius, quod cum italice ſcriptus fuerit, deindeque in latinum (contra quam fieri oportebat) translatus; tamen qui utrumque verſaverit, uter prior, poſteriorve fuerit, non facile divinaverit: uterque enim nativi ſermonis proprietate venuſtateque legenti ſe pariter probat. Quod quam arduum ſit præſtare, norunt qui utriuſque ſermonis vim & ingenium lectione uſuque didicerunt. Cum igitur in Veſuvii conflagratione deſcribenda illuſtrandaque hiſtorici ſimul & philoſophi perſonam gerere oporteret, ad ejus perſonæ gravitatem noſter exegit ſtilum. Porro qui lectiones academicas de Tarantula cum hoc de Veſuvii conflagratione commentario comparaverit, niſi certo ante comperiat, ejuſdem auctoris utrumque opus eſſe; haud ſibi facile perſuaſerit, tam verſatili ingenio quemquam eſſe, qui pro re nata modo copioſus & eloquens; modo diſertus & elegans; modo preſſus & planus; modo acutus & conciſus eſſe ſciat. Adhæc perpaucos reperias, qui latino æque ac vernaculo ſermone, prout res ipſa poſtulat, eruditis auribus ſatisfaciant. Hanc pro argumenti varietate variam ſcribendi rationem a Cicerone noſter didicerat, quo non alter inter antiquos & oratoris, & philoſophi, & hiſtorici, & doctoris, & faceti, & irriſoris perſonam melius ſuſtinuit.

Commentario præfatio præponitur, qua univerſim de ignivomis montibus, & telluris facie identidem immutata hiſtorice, ab eis uſque temporibus ordiendo, differitur, quorum vel ſubobſcura apud Græcos mentio invenitur. Exinde ad

no-

noſtra Campaniæ loca gradus fit, & de Veſuvio, deque Puteolanis, Pithecuſaniſque antiquis recentibuſque conflagrationibus fuſe diſputatur. Quæ autem & quanta ingenii, doctrinæ, criticæque documenta huc noſter afferat, lector melius intelliget, quam ipſe expoſuerim. Illud mihi, præ ceteris, laudabile viſum eſt, quod incertis in rebus optimam philoſophandi rationem iniverit: nimirum neque conjecturis nimium indulgendo, neque probabilioribus pertinaciter repugnando. Atque inde factum arbitror, ut omnibus, qui ante, & poſt ipſum de aliis Veſuvii conflagrationibus ſcripſerunt; unus (Borellium tantum excipe, qui, ut omni geometrico pulvere & abaco inſtructus, abſolutiſſimum de Aetnæ conflagratione, quæ ſua ætate, ſeque ſpectante accidit, librum conſcripſit; quem ſibi noſter in ſuo commentario tamquam exemplar propoſuit) ſapientiorum judicio palmam præripuerit.

Commentarius ſeptem in partes (capita vocat auctor) digeſtus eſt. Prima ephemeridem complectitur accuratiſſimam totius conflagrationis & phænomenorum, quæ ab initio ad finem acciderunt, una cum tabula varii ponderis & caloris atmoſphæræ, & ventorum generibus; qui interea obſervati ſunt. Opportuneque arrepta occaſione, de ſignis ſermo fit, quibus Veſuvii accolæ futurum incendium, vel terræmotum prædici opinantur, eaque obſervationibus fallaciſſima demonſtrantur. Poſt veterum quorundam phyſicorum opinio de ventorum vi ad Vulcanorum excitanda, vel exſtinguenda incendia proponitur, & confutatur. Tum de ingenti aquarum copia, quam anno MDCXXXI.

ex

ex imis radicibus Veſuvium e mari exſorbuiſſe, & per fauces magna cum circumpoſitorum agrorum accolarumque clade rejeciſſe, memoriæ proditum eſt, verba fiunt; & vulgaris opinio convellitur; & vera novi admirandique phænomeni cauſa ex immodicis imbribus, qui paulo poſt incenſionem & igneorum torrentium effuſionem deciderant, & per bitumineam minime bibulam montis ſuperficiem, nuperrimiſque igneis torrentibus conſtratam complanatamque celerrime totique in ſubjectam planitiem defluxerant, hiſtorice ac phyſice explicatur.

Secunda verſatur in torrentium igneorum deſcriptione, eorumque altitudine, longitudine, latitudine, calore, motu, miriſque effectibus explicandis. Appoſiteque animadvertitur, iſtiuſmodi torrentium mentionem hiſtoricam neque a Plinio, diligentiſſimo ejus conflagrationis obſervatore, in qua interiit avunculus, neque ab aliis uſque ad Caſſiodorum inveniri; qui eorum expreſſe meminit. Atque hinc recte concluditur, Veſuvii conflagrationes non uniuſmodi ſemper fuiſſe, tam ſi vehementia & duratio, quam ſi phænomena ſpectentur. Nam ſicut nemo ante & poſt incendium anni MDCXXXI. torrentium aquæ verbum fecit, quia nec ante, nec poſt obvenerant; ita rationi conſonum eſt credere, in conflagratione a Plinio obſervata deſcriptaque, igneos amnes non exſtitiſſe. Quod ex ultima Veſuvii conflagratione uberius evincitur, in qua totus mons a radicibus ad verticem ardere videbatur, jucundiſſimo, nec ante a quoquam viſo deſcriptoque ſpectaculo. Ab his ad menſuram materiæ, igneorum amnium

for-

forma eructatæ, gradus ſit.

Tertia deſcribit notatu digniora de materia & vi memoratorum igneorum torrentium. Expenditur enim fluor materiæ, cum e montis faucibus, aut diruptis lateribus erumpit torrentis forma; & liquido bitumini, aut vitro fuſo recte comparatur. Tum materia ipſa torrentium cum, fluore amiſſo, in ſolidiſſimum maſſam coaleſcit, propius examinatur, & ad bituminis naturam quodammodo redigitur. Attamen quæritur, num eadem omnium ignitorum torrentium materia, an diverſa putanda ſit. Eadem namque materia, pro diverſa ignis intentione magis, vel minus fluxilis, adeoque aptior, vel ineptior ad motum reddi poteſt. Quod obſervationibus confirmatur: in eadem enim Veſuvii conflagratione torrentes alii fluxiliores celerioreſque, alii craſſiores tardioreſque viſi ſunt. Veruntamen cum diverſæ denſitatis materia eodem igne, non eodemmet modo liqueſcat & diſſolvatur; ſapienter quæſtio in medio relinquitur. Inde torrentium univerſorum maſſa in extimam & intimam partem diſtinguitur, & utriuſque differentiæ exponuntur. Suprema enim, ſive extima, citius deferveſcit & ſolidatur, citiuſque motum amittit; interior diutius calorem, mollitiam & fluorem ſervat; itaut, dum exterior frigefacta & ſolidata ſubſiſtit, interior calida, liquida, & fluida ſit. Quod ſecus habet in veris amnibus; qui eo celerius delabuntur, quo ab origine magis recedunt, niſi in planos & latiores alveos deferantur: argumento ſat evidenti, igneorum torrentium materiam natura ſua tenacem eſſe, & ignis vehementia liquefieri. Noſter nihilominus conatur

tur evincere, torrentium materiam primitus liquidam eſſe; poſt, paulatimque, ignis vi remittente, duritiam & ſoliditatem acquirere. Illud quidem vere acuteque adjungitur, torrentium materiam non ex diffractis comminutiſque lapillis, & ignis vi eliquatis, ſed ex alia longeque diverſi generis materia conſtare. Poſthæc lapillorum, arenæ, & ſcobis copia, quæ in torrentium ſuperficie (cruſta vulgo appellata) invenitur, ad ſeverum examen revocata, non ex ipſa igneorum torrentium maſſa, alienas levioreſque partes ad ſuperficiem expellente (velut in fuſione metallorum, ceterorumque foſſilium mediæ inter metalla & lapides naturæ obſervatur); ſed ex lapillis, arena & ſcobe, quæ in via torrens ipſe reperit, ſecumque abripit, oriri oſtenditur. Alia quoque bene multa, ſcituque nec injucunda, nec ſupervacua ſubjiciuntur; quæ, quia paucis exponi nequeunt, rectius prætermitto. Tantum breviter innuo, recte noſtrum ex duritiæ & coloris diſcrimine torrentium ætatem diſcerni poſſe affirmare. Nam præter profunditatem, quæ quo major eſt, eo vetuſtiores torrentes indicat; major durities & color obſcurior, ferreoque ſimilior, vetuſtiores; minor durities & color dilutior, pro minoris duritiei, & dilutioris coloris gradu, recentiores ſignificat.

Quarta pars in torrentium materia, ſive natura, inquirenda tota inſumitur. Atque hæc, ut arbitror, ceteris utilior & abſtruſior pars eſt. Primo igitur noſter duritiem & pondus deferveſactæ ſolidatæque torrentium maſſæ perpendens, metallicam ejus materiam videri non diffitetur. Cum vero malleo renitatur, neque molleſcat & du-

ductilis fiat, ſed auctis & iteratis ictibus frangatur; ad lapideam potius naturam redigi putat. Secundo quoniam intuenti colorem ferri exhibet ; & in ſuprema ſui parte ſpumam ferri exuſti ſimilem præſefert, aliquid hujus metalli admiſtum habere jure conjicit. Tertio hanc ferri partem magnete confirmari ait: in fruſtulis enim recens concreti torrentis, magnetis admotu, motum quendam excitari obſervavit, qualis in ferro, ferrique ſcobe a magnetis acceſſu exoritur. Tantum hic hæſiſſe viſus eſt, quod non ita proprium & privatum ferri ſit ad magnetis acceſſum moveri, ut non aliquot aliis corporibus, præſertimque arenæ, id commune non ſit. Quarto ceterorum tam quæ pretioſa, quam quæ vilia metalla dicuntur, nihil ſuis Academicorumque experimentis compertum narrat, quod eorum quidpiam ineſſe probet. De gemmis, quarum in recentiorum conflagrationum torrentibus copiam ſe reperiſſe Clariſſimi quidam viri affirmarunt; noſter ne verbum quidem facit; niſi, quod de perlucidis quibuſdam concretionibus, cryſtalli ſpeciem referentibus, innuit, de gemmis hiſce accipi debere quis ſuſpicetur. Quinto ſtibium, & biſmuthum (illud vulgo *antimonium*, hoc *marchaſitam* vocant) & lapidem ſpecularem (ſive *talcum*) manifeſte deprehendi teſtatur. Sexto in eis omnibus, quæ a Veſuvio effunduntur, ſal, ſulphur, & liquidum bitumen inveniri, præter omnem dubitationis aleam poſitum eſſe affirmat. Hoc autem bitumen (quod accolis petroleum dicitur, atque idem eſt cum naphtha) ſatis & manifeſtum & copioſum eſt. In magnis autem Veſuvii conflagrationibus præter

flam-

flammam & torrentes igneos, de quibus ſupra locutus ſum, cinis ejicitur; qui nonnunquam niger & unctuoſus eſt, nimirum bitumine hoc liquido intime largeque imbutus. Sulphur vero omnium maxime conſpicuum eſt, quod colore, odore, & copia cuicunque ſe manifeſtat; & quod peræque e rimis, atque e cratere montis fumi ſpecie exhalat, ad ſaxa allabitur, fluoremque amittens, coit, & ſuo ſe colore prodit. Sal Veſuvii, verus ammoniacus ſal eſt, ei ſimillimus, qui Puteolis e ſulphuraria colligitur. In cujus Veſuviani ſalis natura, viribus, & differentiis a vulgari ſale ammoniaco deſcribendis multus, accuratuſque noſter eſt. Inſuper acute obſervat, ferrum, ſtibium, biſmuthum, lapidem ſpecularem, petroleum, ſulphur, & ſal ammoniacum, ad immanem concretorum torrentium maſſam comparata, tam exiguæ quantitatis eſſe, ut inter illorum principia referri nequeant. Hinc ultimo tranſit ad ipſam torrentium materiam definiendam; qua in re candide, ut ſolet, Borellii ſententiam amplectens, & illuſtrans, integrum ejus caput XII. *De origine & productione vitrificatæ materiæ fluidæ e voraginibus Aetnæis ejecta* tranſcribit. Huc autem tota Borellianæ doctrinæ redit ſumma: torrentium materiam, cum fluens eſt, vitro fuſo; cum concrevit, vitro ſolido, perſimilem eſſe. Omnibus enim recte collectis collatiſque effectibus fluentium & ſolidatorum torrentium, nulla rationi, atque experimentis magis conſona videtur opinio, quam quæ ſtatuit, illorum materiam e ſaxis, lapillis, & ſabulo conflari, ignis vehementiſſimi

tiſſimi vi eliquatis: quæ tamen opinio recte intelligenda eſt, ne cum paulo ante dictis pugnet. Nam etſi ſulphur, naphtha, & inflammabilis quævis alia materia igni concipiendo aptior ſit; tamen in flammam & fumum tota diſſipatur. Contra ſaxa, lapilli, in primiſque ſabulum (quod, ut chemicorum vocabulo utar, totius maſſæ baſis eſt) cum igni reſiſtunt, tum igne diutius ac vehementius agente, in liquidam maſsam vitro fuſo ſimillimam abeunt. Atqui pondus, durities, fragilitas torrentis Aetnæi, & Veſuviani concreti cum vitro ſolido mirifice congruunt. Quare torrentium Aetnæ & Veſuvii, niſi eadem prorſus eſt materia cum vitro; ei quidem perſimilis credi poteſt. Cui doctrinæ illud tantum obſtat, quod vitrum pellucidum ſit, torrens autem Aetnæus & Veſuvianus obſcurus. Noſter autem huic argumento ita reſpondet, ut Borellii doctrinam magis confirmet. Nam ſi vitro, cum funditur, foſſilia quædam immiſceantur, pro eorum natura, colore, & modo vitrum varie coloratur; & alias durius, alias fragilius redditur. Quum igitur tot diverſi generis foſſilia in Aetna & Veſuvio reperiantur (quorum aliquot manifeſtiora memoravi); haud mirari ſubit, cur torrentes tot immiſtis foſſilium diſſimillimorum partibus, pelluciditatem amittant. Cetera pulcherrimaque a Borellio noſtroque allata de varia ignis efficacia, & variis corporum miſturis, *menſtruiſque* diverſi generis ad varia corpora diſſolvenda & commiſcenda idoneis; quæque propoſitam doctrinam plane demonſtrant, ſpeciminis brevitas addi vetat.

Quinta pars hiſtorice ac phyſice cineris la-

pidumque projectionem explicat. Qua in re cum nihil ſubtiliore indagine dignum occurrat, ſuam noſter criticam & eruditionem uberius expromit. Cinis nunquam in magnis, vel modicis incendiis deeſſe ſolet; nonnunquam tamen prænuntius; nonnunquam vero comes eſt flammarum, & lapidum. Quin non raro fumi ſpecie emittitur, non prægreſſis, neque conſequentibus flammis & lapidibus. Aliquando ingens cineris vis erumpit, & late per loca circumjecta, campos agros, oppida diſpergitur, & frugibus, plantis, arboribus, domibuſque gravia infert mala. Inter alia vero duo notatu digna cinis hic habet, a veteribus nuperiſque deſcripta: horum alterum eſt, quod aliquando copia & opacitate ſua ſic aerem obnubilat, ut ſolis radios ex toto intercipiat (quod anno MDCCVII. accidiſſe teſtantur ſenes); alterum (neque id ſemel obſervatum fuit) quod nonnunquam ad longe diſſita loca, Syriam, Conſtantinopolim, & Aegyptum uſque provectus ſit. Mirabilius tamen eſt, quod aliquando eodem tempore oppoſitas in regiones pervenerit. Quod cum ab antiquis recentibuſque graviſſimis ſcriptoribus litteris mandatum ſit, in dubium revocari non poteſt. Noſter autem recte opinatur, tum id eveniſſe, cum venti vehementius ſpirarint, ſecumque cinerem continenter & magna copia a monte ejectum vexerint. Etenim credibile non videtur, ſine ventis cinerem ea ſola vi, qua a monte expellebatur, tam longe progredi potuiſſe. Quod ipſa directio oſtendit: nam alias ad orientales, alias ad occidentales longinquas regiones perlatus eſt. Ac ſi oppoſitas in plagas aliquando devenerit; non

ita

ita accipienda res eſt, ut eodem prorſus temporis articulo id eveniſſe putandum ſit. Siquidem fieri poteſt, ut vel diverſi vel oppoſiti inter ſe venti diverſis horis ejuſdem diei, vel diebus proxime conſecutis, ſibi ſucceſſerint; qui pro ſua quique directione ſecum cinerem abripiendo, in oppoſitas regiones deportarint. Lapidum neque moles, neque numerus idem ſemper eſt. In magnis conflagrationibus una cum flamma & montis boatu immania ſæpe ſaxa in aerem projiciuntur, quæ pondere ſuo rurſum delabentia fragorem edunt. Cum ingentibus hiſce ſaxis minores plures, innumerique minutiſſimi lapides proſiliunt, qui grandinis inſtar late diffunduntur. Quorum omnium ortum & cauſam eandem noſter cum Borellio putat; niſi quod in materia ortuque cineris nonnihil ab eo diſcrepat. Quædam circa arenæ naturam, originem ac differentias ſcite opportuneque interſerit. Poſt noxam, quam agris & minutis animalibus cadens, terræque inſidens infert cinis; & feracitatem, quam gignit, cum ſolvitur & glebis altius permiſcetur, deſcribit.

Sexta pars agit de mephitibus, quæ flagrante Veſuvio exoriuntur, eoque deflagrante ceſſant; obiter vero de aliis mephitibus, quæ ſubinde in Herculanenſi Puteolanoque agro, & aliquando in ipſa urbe Neapoli, cum altius effoditur terra, inveniendæ derivandæve aquæ, aut ædificandi gratia, erumpunt. Nec vero auctoribus, qui antea dataque opera (in quorum numero principem locum merito occupat Leonardus Capua) quidquam detrahitur; quamquam ab eo-

rum placitis nonnunquam diverſa, obſervationibus ita docentibus, proferuntur.

Ultima tandem pars Veſuvii ſtatum & formam exhibet poſt conflagrationem anni MDCCXXXVII. uſque ad aliam proxime conſecutam. Quod recte factum eſſe, proclive eſt intellectu: nam in ſingulis conflagrationibus, potiſſime vero in magnis, Veſuvii facies immutatur. Id autem, niſi tabulis exquiſite repræſentetur, nunquam verbis ſatis explicatur. Unde ſi qui prægreſſas incenſiones ad uſque illam anni MDCXXXI. poſterorum memoriæ mandarunt, varias Veſuvii formas diligenter expoſuiſſent, accuratam ejus viciſſitudinum hiſtoriam haberemus, non parum phænomenorum cauſis lucis allaturam. Noſter igitur, cui perſpectiſſimum hoc erat, ſedulo id exſequi ſtuduit; ceterique inſecutarum conflagrationum ſcriptores, ejus auctoritate permoti, eatenus imitati ſunt, ut nonnulli hoc unum operæ pretium feciſſe viſi ſint. Quod mihi ita probatur, ut delectationi potius, quam philoſophiæ ſervire videatur. Primo definit noſter laxiorem montis ambitum, ab imis, ut dicam, radicibus, cum incipit attolli; tum arctiorem, cum manifeſto aſſurgit. Secundo veram ejus altitudinem metitur a maris libella. Tertio formam turbinatam deſcribit; qualis longe intuentibus apparet. Quarto verticem ipſum deſignat, duas in partes jamdiu diſciſſum; quarum altera, quæ meridiem ſpectat, ignem, fumum, lapides, & cinerem emittit; altera, quæ ſeptemtrionibus obvertitur, quantum ex hiſtoricis monumentis colligi poteſt, nihil hujus, ad hunc diem fecit. Quinto deſcribit ſummitatem partis,

ſeu

ſeu verticis meridionalis, fere circularem; ejuſque aream, & voraginis magnitudinem ac profunditatem ingenioſe determinat; non illa tamen accuratione, quam geometra, naturæ inaceſſæ voraginis imperitus, deſideraret. Ut enim accurata profunditatis ejus dimenſio fieri poſſit, in voraginem ipſam deſcendere oportet, apteque in fundo locandum eſt organum, quo triangulum illud conſtruatur, e quo problematis ſolutio pendet. Hic autem deſcenſus, ſine manifeſto vitæ diſcrimine, fieri non poterat. Eo igitur confugiendum fuit, ut ex tempore, quod ſaxa e ſummitate voraginis ad lineam deorſum jacta inſumebant, quoad fundum pertingerent, ejus profunditas, ſive altitudo æſtimaretur. Quæ æſtimatio, etſi ab accuratione trigonometrica aberrat; unica tamen fuit; quæ tum occurrerit Academicis; quæque, velut optime noſter animadvertit, putatis putandis, ſatis accurata credi poteſt. Quamquam enim non æquabili, ſed accelerato motu gravia delabi notum eſt; tamen ſaxa etſi ad perpendiculum demiſſa, pro voraginis tamen aſperitate, pluries a recto curſu deflectunt, & tanquam per plura inæqualiter inclinata plana delabentia, nonnihil retardantur; itaut ſine notatu digno errore, velut æquabili motu delata concipi poſſint. Aliam etiam rationem, eamque minime contemnendam addit ex ipſa temporis menſura, ſcilicet ex pulſuum arteriarum numero deſumptam. Etenim ſicut in naturali hominis ſtatu ſingulæ arteriarum pulſationes minuto temporis ſecundo reſpondent; ita in præternaturali tempus id variat, & in febrili duæ, vel etiam tres eodem minuto ſecundo abſolvuntur.

Is autem, inquit noſter, qui arteriarum pulſus in ſe numerabat, febrientis inſtar, celeriores pulſationes habebat: nam magno niſu ad crateris ſummitatem adſcenderat, & qua denſioribus ſulphuris halitibus, qua æſtivi temporis calore angebatur. Proinde majus ſpatium a demiſſis ſaxis accelerato motu cadentibus percurſum, ſatis corrigebatur ad auctum pulſationum numerum, diminutumque tempus exactum. Utriuſque rationis igitur momentis bene perpenſis, ſic æſtimata voraginis profunditas veritati proxima credi debet. Hoc autem pacto æſtimata *cannarum* 84. reperta fuit. Sexto internam voraginis faciem aſperrimam; ſpiracula fumum exhalantia; ſulphuris, diverſique generis ſalium & cineris copiam fundo inſidentem deſcribit. Cum vero per eos dies, qui obſervationem hanc proxime præceſſerant, multum pluiſſet, lacuſculi modo fundus in devexiore ſui parte aqua ad duos palmos & amplius replebatur. Erat autem aqua, ut noſter inquit, *livida*, *tepida*, & prope lacus oram *ſpumoſa*, ſaporiſque moleſti, ex ſulphureo nimirum & ſalino quodammodo compoſiti. Septimo voraginis hujus magnitudinem quamproxime determinat, & inde quantum aquæ anni ſpatio (ex Cyrilli doctoris ſui decennali calculo pluviæ in Neapolitanum ſolum decidentis) ea colligi poſſit, probabili calculo ſtatuens, ſatis eam eſſe tot medicatis aquis, circa Veſuvii radices proſilientibus, ſuſtentandis oſtendit. Vim autem aquarum medicam, uti paullo ante dicta conſideranti patet, ex tot ſulphureis, ferreis, ſaliniſque diverſi generis particulis ſolutis permiſtiſque deducit; & ſimilium,

quæ

quæ ad Echiæ montis radices Neapoli, & quæ Stabiis, & Puteolis, & Aenariæ, ad aliorum montium radices uberrime ſcaturiunt, exemplo illuſtrat. Alia, quæ in tranſitu adnotat, ne prolixior ſim, perinvitus omitto. Atque hic de Veſuvii conflagratione commentarius inter ceteras præclaraſque noſtri lucubrationes primam laudem meruit. Ad reliqua nunc opuſcula, quæ deinceps edidit, temporum habita ratione, ut inſtitui, exponenda pergo.

Anno MDCCXLII. Turcarum Imperator Carolo tum Siculorum Regi in amicitiæ teſſeram pulcherrimum Elephantum dono miſit. Rex autem, qui antiquitatis, naturaliſque hiſtoriæ erat cupidiſſimus, poſtquam pluries attenteque tantum animal inſpexit, & oculis animoque ſatisfecit, Galiano dixit: volupe ſibi fore, ſi Seraus (cujus ipſe ingenium doctrinamque ex Veſuvii commentario perſpexerat) elephantorum, de quibus tam mira vulgo prædicantur, indolem naturamque vere ac dilucide ſibi exponeret; ne aut fallacibus mirabilium narratoribus cum vulgo deciperetur, aut nimio errandi metu, veris etiam ejus proprietatibus fidem derogaret. Regis voluntatem Galianus noſtro ſignificavit; qui ſtatim operi manum admovit; ſed lente, ut in proverbio, feſtinando, quo plenius accuratiuſque Regis voluntati obſequeretur. In hoc cum eſſet, ecce tibi præter omnium exſpectationem juvenis quidam glorioſus libellum de elephanto italice ſcriptum, antequam ſuum noſter ederet, divulgavit; eo conſilio, ut quam Rex noſtro gloriam deſtinarat, ipſe per injuriam occuparet. Longe tamen aliter, quam animo ſuo

præceperat, res cecidit. Nam & omnibus inſolens iniquumque id auſum viſum eſt; & noſtro, quem privatim tangebat, uſque adeo commovit bilem, ut etruſcam feſtiviſſimam epiſtolam ſcribere occœperit, qua illum non atticis ſalibus, neque ſalſioribus romanis, Ciceroni probatis, ſed patriis atellanis, ut merebatur, ita pupugit, ut ad pœnitentiam adegerit, & tota reliqua vita pudentiorem prudentioremque reddiderit: erat namque noſter melancholicus, adeoque neque ad inferendam cuique injuriam, neque ad tolerandam comparatus. Ut vero ira deferbuit, & ratio ſucceſſit, epiſtola ſuperſedit, juvenique veniam petenti libenter dedit; &, in quo impenſius laudatus fuit, fautor etiam exſtitit. Nam ut glorioſius eſt injurias remittere, quam ulciſci; ita cum imbelli confligere, forti viro turpe eſt. Quantulumcunque id vero epiſtolæ fuit, quod iratus in eum ſcripſit, eruditis certe perplacuit: non modo enim liberalium ſalium jocorumque plenum eſt, ſed eruditionis reconditæque doctrinæ, prout argumenti genus ferebat, ſatis continet. Sedato dein animo, commentarium de elephantorum natura & proprietatibus etruſco perelegati ſermone inceptum abſolvit, & publicavit. Quod argumentum cum a veteribus Græcis Latiniſque (quibus, quam nobis, compertius id animal fuit) prolixe tractatum, iteratiſque nuperorum obſervatis plane exhauſtum eſſet; in eo ipſi laborandum fuit, ut nihil ſcitu neceſſarium omitteret, ita vero afferret, ut novi ſpecie delectaret; tum, ut quæ aut implexius, aut obſcurius veteres narraſſent, clarius explicatiuſque proponeret. Quæ duo mirifice prorſus exſecutus eſt. Inſuper

per quædam veterum loca vel male a nuperis intellecta, vel ſeu inſcitia, ſeu negligentia operarum depravata, rectius expoſuit & veræ lectioni reſtituit. Præterea vulgares aliquot errores ſuſtulit, & novas aliquot obſervationes adjecit. Eapropter claſſicos veterum, recentiorumque auctores, qui ad ætatem ſuam de elephantorum natura, ingenio, victu, moribus ſcripſerunt, evolvere debuit, ne quid notatu dignum præteriret; neve, uti novum quod ab aliis animadverſum fuerat (quod non pauci peccant) obtruderet. Ab his, quæ Elephantorum naturam generatim ſpectant, ad particulares & mirabiliores eorum proprietates progrediens, externarum omnium corporis partium formam, ſitum, magnitudinem, & uſum exponit. Poſt de proboſcide fuſius & accuratius diſſerit. Deinde ad elephantos funambulos digrediens, erudite acuteque, quomodo permira res illa, & fabellam redolens, intelligenda ſit, edocet. Eruditionis quoque gratia diſcrimina inter feroces & dociles, & albos & fuſcos elephantos affert, breviterque de voce (quam barritum Romani dixerunt) & de moleſto odore, quem ab eis emitti veteres quidam memoriæ prodiderunt, diſceptat. Nihil, ut me paucis expediam, eorum prætermittit, quæ de tanto animali ab antiquis notata ſunt; ea tamen ratione ſemper utens, quæ vera a falſis, & credibilia ab exaggeratis admirandiſque diſcernit. Quæ quidem ſeu ratio, ſeu critica (ut nunc vocari mos eſt) in omnibus auctoris noſtri ſcriptis ita perſpicitur, ut maximum eorum pretium faciat. Poſtremo ad Elephantum, cujus cauſa commentarium ſcribere juſſus fuerat a Rege, deveniens, primo

mo, quod ad *totius corporis effigiem*, bubalo ſimilem eſſe demonſtrat; deinde totius corporis magnitudinem & ſingularum partium (longitudine, latitudine, altitudineque accurate dimenſis) definit; adjecta in commentarii calce animalis figura in æs, ut vocant, exquiſite inciſa. Interioris tantum fabricæ nihil addit tum quod vivi ejus animalis natura & ingenium ab eo quæſita fuerant; tum quod aliorum ejus generis demortuorum nulla ei fuit nec incidendi, nec inſpiciendi copia. Ejus vero fabricæ noſcendæ cupidis, auctores, quibus eos diſſecandi opportunitas obtigerat, ſatis eſſe credidit indicaſſe.

Anno MDCCXLII. Aper in venatione a Rege occiſus, ac de more exenteratus, ingentem veſicularum lympha turbidula oppletarum copiam in imo ventris cavo oſtendit; quæ inſolita obſervatio Regi relata, ſciendi avidiſſimum ejus animum impulit, uti noſter illius phænomeni cauſam ſcrutaretur, atque deſcriberet. Quod ipſe tam ſedulo fecit, ut inde obſcuriorum quorundam diuturnorum abdominis affectuum in hominibus ſedes & cauſas explicuerit. In opuſculi vero fine pulcherrimam Vitruvii animadverſionem e latino in etruſcum ab ſe feliciter verſam affert, qua cum ſententiam ſuam de veſicularum ortu in Apro ulterius confirmat, tum veterum morem illum, brutorum animalium exta conſulendi, ad locorum delectum in exſtruendis urbibus, haud futilem, aut ſuperſtitioſum eſſe (quemadmodum nuperi quidam veterum contemptores exiſtimarunt) ſed phyſica ratione niti probat. Sanus enim, aut morboſus viſcerum ſtatus in brutis animalibus, ſalubrem,

vel

vel inſalubrem victum, adeoque aeris & aquarum ejus loci ſalubrem, vel noxiam qualitatem indicat. In eo tamen veteres longe fallebantur, quod eorum etiam, quæ impendebant, aut quæ ipſi aggrediebantur, lætum, vel triſtem exitum a ſanis, aut morboſis brutorum animalium extis prænoſci opinabantur.

Anno MDCCXLIV. VIII. Kal. Febr. cum in regiis ſeptis mortuus eſſet Leo, & omnium beluarum, quæ ibi morerentur a ſapientiſſimo Rege, ad phyſicos uſus, Academicis diſſectio permitteretur; ſtatim e re putavit noſter, Leonem illum diligenter exterius primo obſervare atque deſcribere; deinde interius per omnia rimari. Propterea accuratiſſimam ejus Leonis phyſicam & anatomicam hiſtoriam ſcripſit; qua, collatis celebriorum auctorum (Thomæ Bartholini, Academicorum Pariſienſium, Laurentii Wolfſtrigeli, & Olai Borrichii) ſimilibus obſervatis, quoſdam eorum lapſus detexit, & quædam inter phyſicos & anatomicos non ſatis adhuc comperta de Leonis fabrica (modo & in hoc animali, quemadmodum & in homine varietate ſua natura non ludat) certius definivit. Univerſim tamen affirmat, fibras, membranaſque Leonis omnes præduras eſſe; muſculos vero ſoliditate & magnitudine inſigniores; cor maximum & ſolidiſſimum; cerebrum, pro corporis mole, parvum (non adeo tamen parvum, ac Pariſinis Academicis viſum dimenſumque fuit); tracheam magnam (unde vox Leonis horrendum ſonans); oculos, felium inſtar, mobili adnata præditos, & idcirco modo contegi, modo detegi (ex quo torvus Leonis intuitus). Cetera ſci-

tu

tu quoque pulchra, maxime de anteriorum pedum unguibus, & quibuſdam muſculis, brevitatis gratia omitto. Unum me ſatis non intellexiſſe fateor, de ſingulis internis partibus diſtincte noſtrum locutum; de nervis, arteriis, & venis ne verbum quidem injeciſſe. An quod ab aliis partes haſce accurate deſcriptas invenerit? Ipſe namque ab aliis occupata, niſi res flagitaret, nunquam iterum tractare moris habuit. An quod longo morbo exſtinctum animal gravi halitu ab ulteriore inquiſitione ipſum deterruerit? Id mihi verius videtur. Nervorum enim moles, & vaſorum robur & magnitudo, ad vires æſtimandas plurimum conferunt.

Eodem anno MDCCXLIV. V. Id.Decembr. Antonii Leprotti Archiatri Pontificii hortatu & Cæleſtini Galiani Præfecti Lyceo auctoritate epiſtolam etruſcam de contagione peſtis adverſus Cl. Chicoynæum Galliarum Regis Archiatrum ſcripſit, eidemque hortatori Leprotto dicavit, ut ea ſuper re ſederet judex. Quod Leprotti judicium fuerit, mihi prorſus latet; cui tanto poſt Leprotti reſponſionem legere non contigerit. Certum tamen habeo, Leprottum noſtri ſententiam confirmaſſe: nam Galianus, qui Leprotti amiciſſimus erat, & in rebus medicis ejus judicium maximi faciebat, contagionem peſtis inter phyſica axiomata numerabat. Chycoynæus igitur, ut ad rem deveniam, Chirachii opinionem amplexus, contagionem peſtis, commentum eſſe multis rationibus probare anniſus, non paucos habuit in Gallia ſectatores. Quum vero nova ejus opinio antiquiori, experientiaque quatuor circiter ſæculo-

lorum confirmatæ directe adverſaretur, primo velut abſurda ab omnibus rejecta eſt; poſt novarum doctrinarum amatoribus arridere cœpit, eoque maxime, quod eis ſollicitudinibus, quas peſte ipſa truculentiores effectus edunt, populos liberaret. His rationibus magnum addebat pondus Chirachii & Chicoynæi nomen ipſum apud Gallos illuſtre. Quamobrem niſi apud Britannos Freindius & Meadius, & apud Italos noſter, novæ huic teterrimorumque malorum effectrici doctrinæ ſerio ac vehementer reſtitiſſent; in eandem, immo deteriorem (ob navigationem tantopere ultimis hiſce temporibus prolatatam) calamitatem Europæ populi, quam ante ſaluberrimum excogitatum conſilium, cum populis, qui peſtilentia vexantur, cómmeatum commerciumque intercludendi, fuiſſent incurſuri. Ad tria noſter capita univerſam redigit quæſtionem: ad rationem, quæ vulgo *a priori* dicitur; ad experientiam, quæ *a poſteriori*; poſtremo ad incommoda, impendia, difficultates fraudeſque, quibus commercii commeatuſque interclusio populos objicit. Quod tertium præterit, ratum habens cum Chicoynæo, nimis anxiam imprudentemque ſollicitudinem commeatus commerciique intercipiendi, funeſtiores effectus parere, quam peſtem ipſam. Ad duo igitur illa rationis & experientiæ capita problematis ſolutionem exigens; in anteceſſum reſpondet Chicoynæo affirmanti, ſe inter peſtilentia laborantes anno verſatum, nulloque lecti, & veſtium, & victus facto diſcrimine, a peſtilentia immunem fuiſſe. Etenim contagio peſtis, etſi violentiſſima; a ceteris tamen conta-

tagioſis morbis intentione tantum diſcrepat. Quapropter ſi ſcabiei contagio in dubium non revocatur, quod aliqui cum ſcabioſis dormientes, in ſcabiem non inciderint; & luis veneriæ contagio in diſceptationem non venit, quod aliqui eam non contraxerint; & variolarum contagio (quæ proxime ad peſtilentiæ vim accedit) a nemine convellitur, quod nonnulli dedita opera cum variolis laborantibus (quod proletarii parentes facere conſuerunt, filios variolis nondum correptos cum eis, qui variolis laborant, commiſcendo) conviventes, ab eis intacti perſtiterint: qui mirum eſſe debet, ſi Chicoynæus, inter peſtilentia laborantes anno verſatus, peſtilens contagium devitarit? Contagioſus is dicitur morbus, qui plerumque ac pleroſque attingit, non qui ſemper, ac neceſſario in omnes diffunditur. Quod adeo verum eſt, ut veteres medici aptiſſimo græco vocabulo ἰδιοσυγκρασίαι, diverſas naturas (quas cum Lucretio diſpoſituras preſſius dicas) corporum ad ſuſcipiendos, vel ad repulſandos a ſe quoſdam morbos explicarunt. Peculiarem hanc corporum naturam ſuſcipiendæ, aut effugiendæ peſti comparatam, noſter memorabilibus aliquot exemplis ab eiſdem auctoribus deſumptis comprobat, a quibus perverſa ratiocinatione argumenta adverſus peſtilentiæ contagionem petiverat Chicoynæus. Tum Chycoynæum modeſte carpit, qui non bona fide hiſtoriam peſtilentiæ Maſſilienſis deſcripſerat. Quamvis enim ipſe peſtilentiam illam effugerit; duo tamen de ſuo grege medici (ſcilicet in eadem Chirachii ſchola inſtituti, adeoque peſtilentis contagionis deriſores) ætatis integræ,

ani-

animoſiſſimique, in peſtilentiam incurrerunt, eaque cum ceteris obierunt. Quorum tamen Chicoynæus mentionem facere neglexit, ne tam illuſtri facto ſanioribus aliis medicis ſe deridendum præberet. Verum, pace Cl. Viri, quis non videt, hoc neque medici, neque philoſophi, neque ingenui hiſtorici eſſe? Hujus autem rei noſter certior factus fuit a Cl. noſtrate Medico Felice Roſeto, qui cum Centulæ Principis Medicus & comes in Galliam profectus eſſet, & Monte Peſſulano conſediſſet, a Cl. Gallo Medico du Verny, qui Chicoynæi in Maſſilienſium peſte curanda collega fuerat, in familiari ſermone inaudiverat. Atque iſthæc una hiſtoria ſatis ſuperque Chicoynæi doctrinam evertit. Nihilominus cetera Chicoynæi argumenta refellere inſtituit noſter, ut ne unquam in poſterum, malo publico, abſurda ejus doctrina ſectatores alios inveniret.

Chicoynæi doctrinæ ſumma hæc eſt: errore vulgi invaluiſſe, peſtilentiam ex contagione oriri & propagari; cum vel cæli intemperie, vel fame, vel pravo victu, vel aliis cauſis, in primiſque animi conſternatione, ubivis per ſe ac primitus oriatur. Quæ veterum medicorum fuit opinio, ſed a Thucydide confutata, qui contagionem expreſſis verbis pluries memorat in ejus, quam accuratiſſime deſcripſit, peſtilentiæ hiſtoria; & certius evidentiuſque a ſubortarum peſtium ad hæc tempora conſecutis hiſtoricis. Quamobrem factum eſt, ut ad unum omnes cultiores Europæ populi ex compacto ſeveriſſime conſtituerint, ut cum eis populis, qui peſte laborant, commercium interciperetur. Itaque fallitur primo Chicoynæus,

af-

affirmans errore vulgi opinionem hanc irrepſiſſe. Fallitur ſecundo, a cæli intemperie, fame, pravo victu, aliiſque cauſis, maxime vero animi terrore, (in quaque regione oborientibus cauſis) in quavis etiam regione peſtem excitari. Nam hiſtoricis monumentis oſtenditur, ſine ulla cæli intemperie, ſine fame & pravo victu pluries peſtilentiam enatam fuiſſe; & in maxima cæli intemperie, & in annonæ caritate peſtilentiam minime ortam fuiſſe hiſtoricis item documentis evincitur. In eo tamen plerique errant, quod populares quoſque graviores morbos (h.e. epidemicos) cum peſtilentia confundant; in quem errorem Romani, vocabulorum inopia, lapſi ſunt. Nec vero cæli intemperies, fames, pravuſque victus morbos, eoſque pergraves, non efficiunt; ſed in Europa his tantum cauſis veram peſtilentiam ortam unquam fuiſſe hiſtoricis monumentis non demonſtratur. Contra vetus & recens hiſtoria patefecit, diriſſimum hunc morbum contagione mercium hominumve ex eis locis, in quibus frequens & veluti localis peſtis eſt (endemia Græcis dicitur) in Europam delatorum, paulo poſt peſtem excitatam fuiſſe. Fraude autem negotiatorum, atque vel inſcitia, vel imprudentia, vel quæſtu miſerrimorum hominum, plerumque fieri, ut merces ex regionibus peſte vexatis invectæ occulantur, nemo, niſi plane ſtipes, ignorat. Oritur quidem, ſeu potius integraſcit peſtis cum intemperie cæli, & aquarum ſtagnantium exhalatione, tum, maximeque inſepultorum cadaverum putrefactione quibuſdam in terræ regionibus, in quibus, ob locorum naturam, intenſior eſt putrefactio; non item

in

in aliis regionibus, in quibus, ob diſſimilem locorum naturam, putrefactio remiſſior eſt. Huc, eis in locis, ubi vehemens eſt putrefactio, ſymbolam ſuam conferunt venti, augendo, aut minuendo putredinis cauſas & effectus. Quo ſenſu veterum doctrina, peſtis ortum a quibuſdam ventis, ejuſque exſtinctionem a ventis aliis repetens, vera eſt; contra vero falſiſsima, ſi cum vulgo dicas, per ventos a locis peſte attactis ad remota & intacta loca peſtem transferri. Quod evidentius confirmatur pecorum, boum, equorumque peſte; quæ, niſi per ſui generis animalia, ex illa regione, ubi primum exorta fuit, ad alias regiones nunquam traducitur. Nec lues veneria, aut morbilli, & variolæ ab eis terræ locis, ubi endemii olim erant, ad ceteras regiones per ventos illati ſunt, ſed per homines, qui in eis regionibus morbos illos contraxerunt, ad alias regiones terra, vel mari delati ſunt. Quod noſter obſervationibus aliorum morborum, qui ætate ſua a ſeptemtrionali terræ plaga ad occidentalem, per tabellarios ipſos (nominatim vero catarrhi triduani epidemici, qui extremo anno MDCCXLII. & ineunte MDCCXLIII. dimidium fere Europæ pervaſit; atque anno MDCCLXXXII. rheumatis Ruſſi, a loco, unde promanavit, ſic appellati, quod per totam pene Europam ſerpſit) translati fuerunt, recte acuteque confirmat. Eapropter apud Latinos ſcriptores nihil contagionis vocabulo frequentius occurrit: Romani enim, qui cunctas tum pene cognitas terræ regiones peragrarunt, contagioſorum quoque endemiorum morborum omnium vim in ſe experiri debuerunt.

Reſtat ut de animi conſternatione dicam,

quam Chicoynæus ad excitandam peſtilentiam incredibili vi pollere contendit. Noſter autem animi conſternationem inter violentiſſimas morborum cauſas referre non dubitat; & graviſſimos morbos, & ipſam ſubitam mortem nonnunquam afferre non negat; peſtilentiam vero ex maxima quavis animi conſternatione ortam fuiſſe, nullo certo hiſtorico monumento probari affirmat; & quidem recte. Nam, ut veros panicoſque terrores, quibus omnis hiſtoria referta eſt; quoſque nulla peſtis eſt conſecuta, omittam; recentiſſima Bruttiorum conſternatio, cui an ſimilis, ſaltem quod ad diuturnitatem, apud hiſtoricos occurrat, dubium eſt, Chicoynæi doctrinam refellit. Oportebat enim, ſi veri quid ſimile ejus præſeferret doctrina, in maximam teterrimamque peſtilentiam Bruttios incidiſſe: quorum animi maximis iteratiſque terræmotibus, a Nonis Febr. ſuperioris anni ad Idus Quinctilis hujus durantibus, ita conſternati ſunt, ut magis conſternari nequiverint. Ad tot autem tamque diuturnos terræmotus acceſſerunt fames, pravus victus, nuditas, manſio noctu ſub dio, interdiu ſub ſole (quæ omnia perplures dies, antequam Neapoli eis ſubveniri potuiſſet, tolerarunt) caligo magna, noxii terræ halitus, ſtagna ab diruptis inverſiſque fluminum alveis, aquarum corruptio & fetor; & quæ hinc aliæ calamitates fluxerunt, animo æque ut corpori maximam vim inferentes. Nihilominus peſte immunes fuiſſe Bruttios vel inde colligi poteſt, quod ceteris eorum miſeriis ſupervenerit timor peſtis in Dalmatia obortæ, a qua ſibi cavere una cum ceteris Neapolitanis & Siculis

lis

ſis, univerſiſque Italici nominis populis coacti fuerunt. Nec ideo popularibus aliis pernicioſiſque febribus vacarunt; quibus tamen eodem fere tempore Appuli & Campani, qui nihil omnino eorum pertulerunt, quibus Bruttii tantopere afflicti ſunt. Ex quibus conſequitur contra Chicoynæum, neque conſternationem, neque famem, neque pravum victum, neque mortiferos terræ halitus, neque putreſcentium aquarum potum, neque aeris tempeſtatumque injurias in Europa peſti excitandæ per ſeſe efficaces eſſe cauſas. Nam peſtis, ſingularis, & (ut Medici loquuntur) ſui generis morbus eſt, qui in Europa non gignitur, ſed per contagionem invehitur. Contra vero peſtis fere ſemper, ut recte inquit noſter, cum nulla ejus ſuſpicio invaſit animos, clam per homines, aut merces ejus ſemina ferentes, in alios homines, nihil tale metuentes, lætoſque habentes animos, infunditur. Certe quidem ſi bos, aut equus peſte attacti bovile, aut equile ingrediantur boum, vel equorum, qui ſani ſint; non aliam eis perturbationem creant, quam bos, aut equus quiſque peregrinus; modo tamen macie confecti, & truci aſpectu, ac tetri oris halitu (qui provectæ jam peſtis effectus eſſe ſolent) eos non abſterreant; quod a rabido cane canes alios in fugam vertit. Si vero canis recens in rabiem inciderit, nec herus, nec canes alii ab illo ſibi cavent; quamobrem tum facile mordentur, & hydrophobi fiunt. Idem de bubus, equis, aliiſque animalibus peſte recens infectis obſervatum eſt. Alia quoque contra Chicoynæum noſter affert, quæ apud ipſum legenda ſunt.

Sed ne de ratione & cauſa , qua contagio iſthæc fiat , (quod ad argumenta *a priori* ducta, pertinet) nihil proferat , doctrinam ab Hartſoekero invectam proponit : nimirum inſectorum ; non quod certam veramque crederet , ſed quod ceteris probabiliorem , vel (quod mihi fit veriſimilius) explicandis peſtilentiæ phænomenis , ceteris phyſicorum opinatis accommodatiorem illam exiſtimaret . Tametſi non eſt negandum , Leeuvenoekii & Hartſoekeri obſervata , (ut nova & ſpecioſa quæque, antiquis etſi verioribus præferuntur) phyſicorum medicorumque mentes ita pervertiſſe , ut nihil gigni vel interire poſſe crederent ſine aut prævia , aut ſocia inſectorum opera. Hanc tamen doctrinam noſter , ut meram hypotheſim propoſuit , altera antiquiore inorganicorum corpuſculorum (velut ipſe loquitur) explicandis contagionis phænomenis aptiorem ; non ut certam fixamque , quam lector amplecti cogeretur . Quod ex eis , quæ paullo infra de contagione phthiſica dicenda ſunt , uberius patebit. Ergo, ut concludam, contagioſam vim peſtilentiæ invictis argumentis contra Chicoynæum demonſtrat ; & , niſi me noſtri valde fallit amor , plus doctrinæ , rectique ſenſus noſter in epiſtola uno ductu exarata prodidit , quam Cl. alioquin Chicoynæus in elaborato ſpiſſoque volumine .

Anno MDCCXLVIII. gravi oborta lite de gradu & dignitate inter Medicos & Chirurgos Pariſienſes ; Facultatis Medicæ Pariſienſis Decanus Neapolim ad Regiæ Univerſitatis Profeſſores litteras dedit, quibus de Chirurgorum gentis ſuæ audacia vehementer querens : quod Medicis

dicis obnoxii eſſe nollent, immo & illis ſupereſſe pertenderent; contra quam vetus & confirmata Facultatis Medicæ Pariſienſis auctoritas pati poſſet: de legibus & inſtitutis, quibus res hæc apud nos temperabatur, noſtros Regiæ Univerſitatis Profeſſores conſulebat. Noſter autem de communi Medicorum & Chirurgorum tam Regiæ Univerſitatis, quam Collegii Medici (quod Regiæ Pariſienſi Medicæ Facultati quodammodo reſpondet) ſententia latine, ut ille ſcripſerat, atque ad ſingula ejus quæſita accurate reſpondit. Quæ quidem reſponſio, quoniam edita non fuit, huc ad verbum afferri mereretur; niſi autographum intercidiſſet; & quod ejus exemplum mihi ab amiciſſimo viro oſtenſum fuit, graviſſimis, nec expiabilibus mendis ſcateret. Summatim igitur ſententiam, quantum mihi aſſequi licuit, referam.

Et primo noſter ingentes gratias agit Decano vetuſtiſſimæ florentiſſimæque Pariſienſis Medicæ Facultatis, quod noſtrorum hominum judicium exquiſiſſet. Deinde controverſiam ipſam modeſtiſſime improbat, e qua cum nihil bonæ frugis in medicinam & chirurgiam redundabat, tum nota quædam Medicis atque Chirurgis infligebatur, offenſioni ceteris futura. Rationibus igitur ad concordiam utroſque perducere ſtudens, ait medicos chirurgiam quoque antiquitus profeſſos eſſe; itaut idem eſſet medicus atque chirurgus, idemque herbarius etiam & pharmacopola; proceſſu vero temporis cum ſingulæ medicinæ partes novos magnoſque auctus ſenſim cepiſſent, ut ſingulæ totum hominem ſibi poſcerent; chirur-

gos a medicis (quod ipſius chirurgi vocabulum medico ſenſu acceptum, veteribus ignotum, indicat) ſeceſſiſſe. Re vero bene perpenſa, neque medicum chirurgiæ rudem internos morbos, neque chirurgum phyſiologiæ prorſus ignarum externos recte curaturum. Proinde chirurgum, qui medicinam ordine ac ſtudioſe didicerit, medico chirurgiæ imperito anteferendum; peræque ut medicum chirurgiam edoctum, & per ſe præſtare promptum, chirurgo medicinæ inſcio anteponendum eſſe. Tum noſtrates chirurgos & medicos laudat, quod & illi ſponte ſua medicis morigeri ſint; & hi viciſſim in chirurgos officioſi; neque alteri in alterorum meſſem falcem immittant. Antiquitus vero apud nos non lege, ſed ratione, ac bonis moribus invaluiſſe, ut in conſeſſibus chirurgi medicis locum concedant, & in gravioribus caſibus ſine medicorum conſilio nihil anceps per ſe moliantur. Antiquitus etiam apud nos lege conſtitutum, ut medendi tam internis, quam externis morbis facultas a Collegio Medicorum candidatis tribuatur. Quibus more ſuo eleganter ſapienterque propoſitis, perorans, Decanum hortatur, ut noſtratium Medicorum Chirurgorumque mutuam laudabilem conſpirationem imitari velit, & aſperrimam concertationem ex æquo & bono, ut Virum ſapientiſſimum, artiſque ſalutaris in Celeberrima Galliarum Civitate moderatorem decet, componat. Abhorrebat autem noſter a contentionibus, nec eis unquam ſe immiſceri patiebatur; ac ſiquando judex, vel arbiter legebatur, medium aliquod conſilium excogitabat, quo diſcordia ſedaretur. Quivis alius paul-

lo

lo fervidior, Medicorum, aut Chirurgorum partes ſuſcipiens, oleum camino addidiſſet.

Anno MDCCLII. ab Joanne Bruno, Cyrilli olim diſcipulo, Melitæ medicinam faciente, de ratione diſpellendæ contagionis phthiſicæ per litteras conſultus, latina elegantiſſimaque epiſtola, geometrico pene modo conſcripta, & officii amoriſque plena reſpondit. Non diffitetur autem, phthiſim contagione propagari poſſe: nam quis in arte verſatus omni prorſus contagione phthiſim expertem eſſe affirmarit? Tantam vero ejus contagionis vim eſſe, quantam vulgus opinatur, nemo ſana mente præditus ſeu medicinæ peritus, ſeu imperitus ſit, unquam ſibi perſuaſerit. Mediam igitur inter oppoſitas ſententiam eligens, eo ſermonem convertit, primo ut contagionis cauſam, poſt ut medicinam inveniat. Quare duas illas opiniones (quas ſupra, cum de peſtilentia verba feci, expoſui) de organicis nimirum, & inorganicis corpuſculis a phthiſicorum corporibus per os in exſpiratione, ejectioneque puris, & per cutem perſpiratione ſudoreque manantibus, inter ſe conferens, neutram rejicit; illam vero de organicis, ſive animatis corpuſculis, probabiliorem exiſtimat: quod animata iſthæc corpuſcula ad lintea, veſtes, reſque alias mollioris laxioriſque compagis, quibus homines corpus integunt, facilius quam inanimata, adhæreſcant; & in quibus, velut in aptiori domicilio, deliteſcant, & ſuboleſcant; petita a vermiculis ſcabiei analogia. Qua poſita doctrina melius intelligitur propagatio phthiſis, & cutaneorum quorumvis contagioſorum affectuum; & facilius ex-

plicatur, cur ignis & ſuffimenta ſive calida, ſive graveolentia, ſive acida, res illas, quæ contagione quavis infectæ ſunt, abſtergeant, atque innoxias reddant. Nam animata corpuſcula igne, ſuffitibuſque memoratis ſuffocantur atque exſtinguuntur; inanimata vero non æque diſſolvuntur, vel diſſipantur. Hanc igitur ſententiam præfert alteri; ſed non ita amplectitur, vel confirmat, ut, alteram falſam putet. Quoniam vero per corpuſcula (ſive animata, ſive inanimata illa ſint) omnis contagio propagatur; & a peſtilenti contagione attactis rebus purgandis deſcripta ſuffimenta ſine ulla ignis opera ſatis eſſe experientia docuerit; eoſdem ſuffitus, & odores ipſos, imo & ablutiones, quibus lintea emundantur, rebus phthiſica contagione perfuſis, optime purificandis, ſatis ſuperque futuras eſſe recte ſuadet. Tacite igitur noſter Melitenſium, aliorumque populorum morem reprehendit, qui res omnes a phthiſicis adhibitas flammis abſumebant. Qui mos, malis avibus, duos circiter abhinc annos in noſtram urbem inductus, incredibile dictu eſt, quales quantaſque turbas conciverit; quibus niſi ſalutari tempeſtivoque Regis conſilio (complurium experientiſſimorumque medicorum ſententia prius exquiſita) occurſum eſſet; publicæ ſanitatis ſpecie, civium rei & tranquillitati internecinum fuiſſet bellum indictum.

Multis igitur in utramque partem ſapienter dictis, tandem ſtatuit: vel nihil prorſus ex univerſa phthiſicorum ſupellectile cremandum eſſe; vel id tantum, quod vilitate ſua levius inferret damnum, quam purgationis impenſa. Cum

ve-

vero Cyrilli memoria cariſſima ipſi eſſet, Joanni Bruno, ejus diſcipulo, prolixius atque amantius reſpondit.

Anno MDCCLV. ſchediaſma de ſuffocatis ad vitam revocandis, quinquennio ante auditoribus ſuis promiſſum, & valetudinis cauſa tamdiu dilatum, compoſuit ac prælegit; anno vero MDCCLXVII. cum aliquot aliis opuſculis, quorum ſupra memini, typis mandavit. Cujus ut luculentius ſpecimen præbeam, prænotandum eſt, nuperis phyſicorum inventis & obſervatis, de ſubmerſorum mortis cauſa addubitatum fuiſſe. Omnes enim phyſici uſque ad Joannis Alphonſi Borellii ætatem pro certo exploratoque habuerant, ſubmerſos ab aqua exſorpta ſuffocari; quamobrem qui paulo poſt ſubmerſionem e mari, flumine, ſtagno, puteoque extrahebatur, inverſo corpore ſuſpendebatur, quo facilius epotam aquam evomeret, & reſpirationem rurſum reciperet. Obſervatis autem Cl. Beckeri contrarium deprehenſum fuit: ſiquidem in pluribus ſubmerſorum ab illo diſſectis cadaveribus neque in ventriculo, neque in pulmonibus reperta fuit aqua. Quæ obſervatio ſtatim nuperos adverſus antiquos excivit, & ſubmerſorum curandi ratio per corporis inverſionem, ceu inutilis & damnoſa, nec injuria, repudiata fuit. Nova igitur curandi ratio, eaque multiplex primum, deinde vero ſimplex & conſtans ſuffici cœpit, quæque hodie viget. Sed cum ſapientiores quidam, novis inventis obſervatiſque fidem non facile adjungentes, in brutis animalibus experimenta ab integro capere inſtituiſſent, nec veteres deceptos fuiſſe, neque Beckerum falſum prodidiſſe cognoverunt: nam in

qui-

quibuſdam reperta fuit aqua, in aliis non item. Itaque alii epota aqua, alii deficiente aere ſuffocantur. Cujus diſcriminis cauſam, quantum philoſophando aſſequi potui, in commentario de nova ſubmerſos & intermortuos quoſque exſuſcitandi ratione italice vulgato, anno MDCCLXXVII. explicare conatus ſum. Cum igitur nova hæc tam ſubmerſis, quam ſuffocatis univerſis ſuccurrendi methodus, magnam ætatis noſtræ phyſicis medicisque auctoritatem conciliaret; certatim ad eam illuſtrandam confirmandamque complures operam quamque ſuam contulerunt. Atqui noſter, qui quamquam continentibus ægrotorum curationibus diſtineretur; litterarias tamen ephemerides, Academiarum commentaria, & quæcumque ad phyſicam & medicinam ſpectantia nova proferrentur, legere non intermiſerat; ut ſuis auditoribus datam fidem liberaret, ſchediaſma ſcholaſtico quidem ſtilo, dilucide tamen atque erudite rem omnem more ſuo explanavit.

Univerſam tractationem ſeptem in partes (articulos ipſe vocat) diſtribuit. Prima ſignorum mortis fallaciam oſtendit; ſecunda vitæ uſum & vitæ functionem diſtinguit a vitæ facultate & diſpoſitione; tertia probat ſuffocatorum (quo nomine tam ſubmerſos, quam ex aliis quibuſcunque cauſis intermortuos comprehendit) mortem ab intercepto quidem liquorum motu, non ab inſtrumentorum vitæ labefacto corruptoque *mechaniſmo* repetendam; quarta viventium vim (quam *vim vitæ* paulo ſignificantius vocat Boerhaavius) ſeu vitam ipſam motu contineri, quiete vero intercipi docet; quinta, ab his quatuor, tamquam

ex

ex jam probatis (quemadmodum dialectici loquuntur) concludit, eos tantum ſuffocatos ad vitam idoneis auxiliis revocari poſſe, quorum nec liquores corrupti, nec organa vitalia labem aliquam acceperint; ſed alterutri, vel utrique levi ſuperandaque cauſa a motu, ſeu ab actione prohibentur; ſexta obſervationibus aliquot cum certis, tum notatu digniſſimis evincit, nonnullos, qui pro demortuis habebantur, medicis auxiliis in tempore recteque adhibitis, revixiſſe; ultima (qui totius tractationis fructus eſt) pleraque ad eum uſque diem, quo ipſe ſcribebat, a phyſicis medicisque experta perſtringit tentamina; eaque præ ceteris ipſe commendat, quæ reſpirationem primo, poſt cordis motum excitare queant; obiterque aeris in fauces violentam impulſionem innuit. Nec plura ad eum annum, quo ſuum ſcripſit ſchediaſma, phyſici medicique tentaverant. Deinde iteratis ubique experimentis, omnes in eo conſenſerunt, ut maximum redintegrandæ vitæ auxilium ab aere in pulmones vi magna impulſo petendum eſſet. Ergo ſi temporis, quo noſter ſcripſit, ratio haberi velit; apud æquos rerum æſtimatores ſuum huic ſchediaſmati ſtabit pretium. Sed præter hoc, materiæ digeſtio, ſcriptionis nitor & elegantia; &, quod præcipuum eſt, peringenioſe quædam cogitata, nec ab alio deprompta, quibus & delectari, & ad recte ſubtiliterque philoſophandum lector incendi poteſt, opuſculi pretium augent.

His varii argumenti, pro re nata, ab ineunte fere ad maturam ætatem editis operibus, cum paullatim corporis robur fregiſſet, & docendi medendique penſo minime relaxaretur, a lucu-

cubrando deſtitit; non ita vero, ut a legendo ſcribendoque abſtineret, ſed ut acrioribus ſtudiis modum faceret, & honeſtæ requietis tandem ſibi aliquid impertiret, Tulliani illius (quod amicis ſæpe inculcabat) bene memor: *quando vivemus*. Quotidie enim, & antequam domo exiret, & poſtquam ſe receperat, cunctis ſe adeuntibus dabat conſilia, & per litteras conſulentibus reſpondebat. Quæ ſcripta ejus conſilia ſi colligerentur, ederenturque, Cyrilli doctoris ſui conſilia mole exæquarent, aut etiam vincerent. Sed de curationibus & conſiliis præceptiſque medicis ejus inferius dicam. Nunc ordine reliquum vitæ perſequar.

Fracto paullatim, ut dixi, corporis robore, præter exſpectationem in graviſſimum incidit faucium morbum, cujus nec ſatis cognita fuit cauſa, nec unquam inventa curatio. Reſpirabat quidem liberrime in quolibet corporis ſitu, & æque in vigilia ac ſomno; loquebatur etiam expedite; eſculenta deglutiebat, potulenta vero perdifficulter; ſic ut, ſi affatim celeriterque biberet, ſuffocaretur. Quod cum maximam ipſi ægritudinem afferebat, tum ſuis & amicis triſte ſpectaculum exhibebat. Multa ipſe ſuopte ingenio, permulta aliorum conſilio fruſtra expertus, celebriores Italiæ Medicos Chirurgoſque adire ſtatuit; quos inter in primis amiciſſimum Morgagnum, qui non modo Anatomicorum tum erat doctiſſimus, ſed & de faucium natura & partibus ſubtiliſſime ſcripſerat; tum alios magni nominis, ut Cocchium, & Molinellium; quos omnes litterarum commercio noverat. Quod Cl. Viri ab ægroti

ti ore morbi hiſtoriam edocti, & ſuiſmet oculis ejus inſpectis faucibus, morbi judicium fecerint, quamque curationem præſcripſerint, mihi ſatis compertum non eſt. Tantum ſcio, uvæ extremum ferro abſciſſum fuiſſe; non magna tamen morbi levatione conſecuta: bibebat enim conatu magno, & quaſi pitiſſando. Cetera valebat, & omnia vitæ munia libenter exſequebatur. Eo igitur, artis non proficientibus auxiliis, confugit, ut eſculentis quam minimum ſalſis conditiſve ſitim non accenderet, & uberiore fructuum eſu, & nive, congelatiſque potiunculis (quibus maxime delectabatur) pharyngem proritando, potionis tantum aſſumeret, quantum ſedandæ ſiti ſufficeret. Diutiſſime ad extremum vitæ diem uſque dirum hunc morbum pertulit, tantaque animi conſtantia, ut de eo acerbius unquam queſtum non meminerim. Ne vero prolixius contentioſiuſque loquendo fauces exareſcerent, ſitimque augerent, vacationem a Lyceo impetravit. Atque in poſterum, niſi res admodum flagitaret, perparce locutus eſt. Quemcunque vero plenis faucibus bibentem videbat, intentis in illum oculis, deſiderium ſuum indicabat. At officioſiſſimus homo, ne ſuis amiciſque, quibuſcum convivari aſſueverat, ſua bibendi difficultate moleſtiæ cauſam afferret, ſeorſum deinceps, ac ſolus cœnavit.

Hoc, valetudinis cauſa, ſuſcepto itinere, totam fere Italiam peragravit, illuſtreſque viros, quos aut fama, aut libris noverat, intueri & alloqui voluit; quibus & ipſe nomine operibuſque notus, præſens magno fuit gaudio.

Ab

Ab eo autem tempore nemo litteris clarus vir ex qualibet Italiæ civitate Neapolim venit, quin ipſum & Mazochium viſere, ac de facie noſſe cuperet.

Sub idem fere tempus, ne in otio langueret, Joannis Pringlii *Obſervationes de militum morbis tam in caſtris, quam in præſidiis* ex britannico in italicum ſermonem tranſtulit; qua de re ſupra mentionem feci. Hoc tamen loco addendum eſt, interpretatione vix abſoluta, ei renunciatum fuiſſe, paullo ante Pariſiis aliam e britannico in gallicum factam eſſe: quamobrem magnopere perturbatus eſt. Sed cum docti viri, & gallice ac britanice ſcientes, ei patere dixerint, interpretationem ſuam gallici nihil ſapere, adeoque de britannico fonte deductam cuivis æquo æſtimatori viſum iri, edere non dubitavit; hoc amplius, quod cum noſtrates juniores medici continenti gallicorum librorum lectione italici ſermonis vim, nitorem & venuſtatem corrupiſſent, ſperandum foret, ut, illo propoſito exemplo, in rectam italice loquendi ſcribendique viam reducerentur. Et vero quamvis gallicus, britannicus, italicus, & alius quiſque ſermo peræque animi ſenſa exponat; tamen quod gallice, aut britannice proprie eleganterque dicitur, ſi totidem parilibuſque verbis italice reddatur, aut obſcurum, aut inſolens, aut barbarum eſt. Quamquam enim preſſior litteralis interpretatio non magni fieri ſolet; quæ tamen auctoris ſententiam retinens, verbis locutionibuſque utitur ejus linguæ propriis, in quam vertitur liber, doctis viris commendatur: quippe quæ hominem deſiderat cum utriuſque linguæ cal-

len-

lentiſſimum, tum vero in re, qua de agitur, egregie verſatum. Quantum vero ex hac Pringliani operis interpretatione profecerint noſtrates medici; qui antiquam medendi rationem cum nova ſcite contulerit, per ſe intelliget.

Anno MDCCLIX. cum recens phyſicæ experimentalis cathedra vacaſſet, novoque profeſſore (veteri Academiæ Neapolitanæ more) eſſet implenda, libellus thematum concinnatus fuit, e quo ſortito candidati thema quiſque ſuum deſumerent. Noſter autem brevi, terſa, luculentaque præfatione rem & occaſionem explicuit. Atque hic noſtri poſtremus litterarius fuit labor, qui prodierit. Opuſcula tamen alia bene multa, quæ publica, vel amicorum cauſa ſcripſit, & in forulis deliteſcunt; quamvis lectu quoque digna, tamen edi vetuit. Exſtant vero publica quædam politioris ejus litteraturæ monumenta in Divæ Mariæ Virginienſium Monachorum, & in Divi Joannis ad Mare nobiliſſimi Ordinis Hieroſolymitani: alterum in tumulo Agnelli Vaxalli; alterum in tumulo Michaelis Regii; quæ hic lectori ſiſtere, ut ejus in elogiis conſcribendis ingenium noſcat, e re putavi.

AGNELLVS . VASSALLVS . HIERONYMI . F.
HAEIC . SITVS . EST

Qui . tantum . in . fingendo . ad . eximiæ . honeſtatis . formam . animo ſtudium . poſuit . ut prae. eo . ingenI . doctrinae . eloquentiae . laudem qua . par . ſummis . habebatur . viſus . ſit . neglexiſſe . idem . in . publicorum . Neap. civitatis . nego-

gotiorum . adminiſtrationem . implicitus . ea . fidei . probitatis . abſtinentiae . documenta . edidit quae . jugi . commemoratione. per. aetates . victura facile . ex . univerſa . poſteritate . admiratores non . facile . aemulatores . invenient.

Vixit . annos . LII. m. x. d. III
E . medio . pulcherrimorum . factorum . curſu
ſublatus . eſt
Pridie . Kal. Decembres . MDCCLI
Amico . Rariſſimi . Exempli
Optimo . Quam . Dulciſſimo . Individuo
Franciſcus . Seraus . Sibi . Relictus
Maerori . Scilicet . Deſiderioque . Relictus
Propinquitati. Et. Amicis.ceteris.Officio.Praerepto
Monumentum . Poſuit.

MICHAELIS . REGII
QVOD . MORTALE . FVIT
HAEIC . CONDITVM . EST

Qui . e . Campoflorentium . principibus . in Sicilia . natus . adoleſcentiam . Hieroſolymitanae Religionis . inſtituto . aetatem . reliquam . Philippi . V . Hiſpaniarum . Caroli . Filii . Et . Ferdinandi . IV . Nepotis . Vtriuſque . Siciliae . Regum . temporibus . devovit . a quibus. omnia . retulit . honoris . adprobationiſque . teſtimonia . ſupremum . rei . navalis . imperium . in . Sanctiore conſilio . ſedem . Aurei . velleris . Et . S. Ianuarii . Regalia . Inſignia . Eius . prudentiae . atque . efficaciae . Vrbs . debet . novam . viam maritimam . portumque . laxiorem . tutioremque Ad . haec . Anno . MDCCXXXXIIII . quum . hinc
dira .

dira . peſtilentia . Meſſanenſes . Rheginoſq. Illinc magna . hoſtium . manus . Pelignos . Invaſiſſet excederetque. Carolus . Rex . cum . exercitu . Eius vice . Populorum . undique . conturbatorum . regimen . tanta . felicitate . peregit . ut . vel . ſummam . temporum . difficultatem . nil . prorſus virtuti . ſapientiaeque . obeſſe . rariſſimo . nec Neapolitanorum . animis . dilapſuro . exemplo oſtenderit.

Vixit Ann. LXXXX. M. I. D. VII.
Elatus . eſt . XV. Kal. Februar. MDCCLXXII.

Anno MDCCLVIII. noſter Mariæ Carolinæ Auſtriæ, Ferdinando Regi noſtro nuptæ, intimus Medicus renunciatus, quo tanto muneri penſoque ſuſtinendo paratior foret, Cl. Gerardo L. B. van Swieten ſcripſit:

PRAESTANTISSIMO EGREGIOQVE VIRO GERARDO L.B. VAN SWIETEN IN AVLA CAESAREA ARCHIATRORVM COMITI &c. &c. FRANCISCVS SERAVS S. P.

Ex quo ante hos paucos dies Regis noſtri Clementiſſimi juſſu mihi demonſtratum eſt, Majeſtati ſuæ placere, ut exoptatiſſimæ ſponſæ Reginæ cura in iis, quæ Medicum miniſterium poſtulant, mihi potiſſimum imponeretur; ediceretque rem eam animæ dimidium ſuæ ſpectare; ſibique maximæ ſupremæque ſollicitudini eſſe; commemorare tecum, Vir Ampliſſime, vix poſſum, quanta me protinus jactatione concuſſum, quibuſque ambagibus circumſeptum ſenſerim. Obſequium, obſervantiam, fidem præſtare me tam auguſto tamque honorifico im-

 pe-

perio decere, ſanequam intelligebam ; & vero præ me ferre debere certus eram : at privato homini, in tenuitate moduloque ſuo conquieſcenti verendum primum erat, ne Principum tantorum ſplendori, Aulæque Regiæ celebritati prorſus impar inveniretur : tum accedebat, cumulumque complebat injuncti muneris difficultas ; quam medicæ artis obſcuritas, imbecillitas, inconſtantia, vel nobis invitiſſimis, produnt. Sed quid verbis opus eſt ? aut quid occupationibus graviſſimis, Spectatiſſime Gerarde, novus homo, ac fere ignotus obſtrepere pergo ? dicam paucis præſidenter atque ingenue: in tanta hac mea tamque juſta anxietate, fiduciæ ſolatiique potiſſimam rationem in peritia atque humanitate tua mihi eſſe propoſitam. Itaque peto abs te majorem in modum, ut me conſiliis monitiſque libere inſtruas ; quod pro uberrimo tuo ſapientiæ doctrinæque penu facile, præ omnibus Machaoniam artem profitentibus, potes : tum vero & ſingularia quædam indices atque ſignifices, quæ ex aſſiduis intentiſque obſervationibus tuis, conſuetudineque perpetua Regiæ Puellæ Tibi oblata ſunt, ſucceſſori medico ad provinciam ſuam accurate feliciterque obeundam, aliquo pacto profutura. In eo & Regiæ Familiæ utrique ; & ſubditis nationibus pergratum acceptumque beneficium præſtabis, cujus nulla, quoad vivam, temporum ſucceſſio memoriam apud me, momentumque delebit. Vale. Neapoli Nonis Martiis MDCCLXVIII.

Huic epiſtolæ XXV. Kal. Mart. ejuſdem anni accurate officioſeque reſpondit Gerardus Van

Swie-

Swieten, Reginæ corporis habitum, valetudinem, morboſque, quibus ab illa ætatula, qua dentes erumpunt ad pubertatem, eumque diem, quo Vindobona Neapolim profecta eſt, tentata fuerat, una cum eis medicinæ auxiliis (formulis etiam remediorum adjectis, ne minimum quid deeſſet) quorum opera convaluerat, deſcribens. Quæ, niſi pura putaque medica narratio eſſet, afferri debuiſſet, quo quanti Vir Cl. magnique Boerhaavii egregius alumnus, noſtrum faceret noſci poſſet. At vir ille ſummus non diu poſt, vix ultima commentariorum parte in Boerhaavii Aphoriſmos perfecta, anno ſcilicet MDCCLXXII. obiit, magnum ſui deſiderium ſapientibus probiſque Medicis relinquens. Cui cum ſucceſſiſſet Antonius Störchius alumnus ejus eximius, noſtrum de præceptoris fato, & ejus delato ſibi munere certiorem fecit; eique noſter ita reſcripſit:

VIRO PERILLVSTRI AC DOCTISSIMO
ANTONIO STÖRCHIO
IMPERATORIS ATQVE IMPERATRICIS
ROMANORVM
TOTIVSQVE IMPERIALIS FAMILIAE
ARCHIATRO PRIMARIO
FRANCISCVS SERAVS S. P. D.

Epiſtolam tuam, qua exceſſum Viri ſummi Gerardi Swietenii, atque deſtinatas tibi ſtatim Sapientiſſimæ Dominæ decreto ejus partes, nunciabas, jamdudum, fateor, accepi: at curis gravioribus involutus, cujuſmodi in Medico miniſterio fæcunda ut plurimum ſeges provenit, hactenus reſcribere diſtuli, ratus haud incommoda interpretatione a Viro humaniſſimo hujuſ-

modi tarditatem fore accipiendam. Nunc obfirmata conſtantique animi mei ſententia enuntio, omnibus litterarum cultoribus & Swietenii caſum infauſtum moleſtumque accidiſſe, & ſolatii argumentum ſatis juſtum iiſdem eſſe oblatum, cum Te, ejus doctrinæ, eruditionis, honeſtatis alumnum præcipuum, muneris quoque ampliſſimi ac ſacroſancti heredem electum intellexerint. Vive igitur, Antoni ornatiſſime, ac fruere: intereaque ſub ductu tui regiminis proſpera omnia Deus Optimus Maximus Auguſtiſſimæ Familiæ largiatur: quod ex intimo animi mei ſenſu voveo, atque exopto.

De febricula, qua Reginæ Noſtræ (amabilis ne dicam, an adorabilis?) valetudo per aliquot dies, ut noſti, tentata fuit, nihil hic addere occurrit; quoniam ante hos decem dies, Deo auſpice, penitus excuſſa eſt; ut ex commentariolo ſemel atque iterum tranſmiſſo intelligere potuiſti.

Illud reſtat, ut excelſi optatiſſimique beneficii loco mihi operam eloquentiamque tuam præſtes in enarranda Auguſtiſſimæ Imperatrici ecſtaſi animi mei, cum inter ſollemnia, quæ excelſo Nomini Tereſiæ Auguſtæ hic apud nos celebrantur, ejus Legatus annulum gemmatum, ſpecie & qualitate elegantiſſimum ac perhonorificum, Majeſtatis Suæ juſſu, mihi exhibuit. Eloqui non poſſum, quanta verecundia me repente obrutum ſenſerim, ac ſentire etiamnum pergam: in quo ſcilicet annulo ad ſingulos obtutus, quaſi in ſpeculo nitidiſſimo, Majeſtatem & Fulgorem inſpicio largientis Auguſtæ; cum

meam

meam intueor nihil tale merentis exilitatem. Te igitur oro obteſtorque maxima, qua poſſum, fiducia ac ſollicitudine, ut Munificentiſſimæ Imperatrici ingenuos hoſce demiſſiſſimi, obſtrictiſſimique animi mei ſenſus exponas. Erit tuum hoc officium, quemadmodum præfatus ſum, mihi maximi beneficii loco; cujus profecto memoriam nulla prorſus temporis longinquitas delebit. Vale Porticibus v. Kal. Nov. MDCCLXXII.

Ex omnibus autem primæ notæ litteratis Viris externis æqualibus ſuis, conjunctiorem amicioremque neminem habuit Cl. Joanne Baptiſta Morgagno; cujus innumeras, nec tamen omnes, litteras ad noſtrum legi. Quarum nulla non honorificentiſſima noſtro eſt. Noſtrum enim cum faciebat plurimi, ut patriæ Italiæque decori eſſe diceret; tum ob optimos mores ſumma cum litteratura feliciter conjunctos impenſiſſime diligebat. Aliquot etiam Marchionis Poleni, & Antonii Cocchii litteras, unas Ludovici Antonii Muratorii evolvi parilis omnes de noſtro cum Morgagno ſententiæ. Tiſſoti perbrevem, ſed officioſiſſimam epiſtolam gallice ſcriptam; plures perlongaſque Joannis Pringlii britannice exaratas reperi. Bononienſium medicorum, chirurgorum, philoſophorum, eruditorumque profeſſorum neminem non ſui amantiſſimum, æſtimatoremque ſingularem habuit; quos inter velut glorioſi agminis ductores erant Joannes Maria Zannottus & Molinellius; quorum non unas, nec vulgares litteras vidi. Amiciſſimos habuit Romæ Salicetum Archiatrum & Leprottum, & Laurentium Pontificios A

chiatros, uti complures eorum ad noſtrum teſtantur epiſtolæ. Ac ne id pluribus fruſtra probatum eam; ſatis erit monuiſſe, neminem in Italia, ſive magni, ſive medii nominis litteratum virum fuiſſe, quin noſtrum niſi de facie, per litteras ſaltem noſſe cupiverit. Itaque vere dixerim, longe pluris ab externis, quam a popularibus ſuis noſtrum factum fuiſſe.

Exſtant ejus latina & etruſca tum ſeria, tum lepida carmina perpulchra partim edita, partim inedita; & ſeria optimis ſententiis referta; & ludicra, quamvis leporis plena, nihil tamen, quod in mores vel minimum peccet, redolentia. Exſtant quoque orationes, epiſtolæ, & carmina latina; quæ vel alieno nomine vulgata, vel ab aliis recitata fuerunt; quæ nimirum rogantibus litterariæ gloriæ cupidis, ſed illitteratis amicis ſcripſit; quæque poſtmodum ipſius fuiſſe (quamquam ipſe cum nemine communicaſſet) ſtilus declaravit. Hic mihi venit in mentem narratu res incredibilis; tamen veriſſima & ſingularis. Jactator quidam latinam orationem recitavit in ſpectatiſſimo Civitatis loco, ac ſplendide etiam edidit, quam ad verbum deſcripſerat ex celebris auctoris pridem edita oratione. Neque hic ejus impudentia ſubſtitit. Aliquot ejus exempla amicis diſtribuit; ſed paulo poſt ab eiſdem de turpi detecto plagio commonefactus, eos enixe rogavit, ut ſibi unis ſervarent, neque cuiquam oſtenderent.

Modeſtia & probitas, quibus, æque ut ingenio doctrinaque, noſter excelluit, obſtiterunt, ne de rariſſimo phænomeno Virginis Neapolitanæ, cui,

cui, citra ullum valetudinis naturaliſque habitus vitium, cutis univerſa ſic obduruerat, ut preſſa durum plane corium referret, lectu dignum commentarium ederet. Devenerat Virgo liberali facie, honeſtiſque moribus, ſed pauperrimæ ſortis, in Noſocomium Incurabilium, ut ibi a medicis experientiſſimis, eo, qualicunque vitio, liberaretur. Res Noſocomii Moderatoribus delata, novitate digna viſa fuit, quæ memoriæ mandaretur, phyſiciſque rationibus, quoad ejus fieri poſſet, illuſtraretur. Negotium tamen Noſocomii Clinico demandatum fuit, qui medendi arte nonnullius nominis erat in Civitate; litterarum vero plane rudis habebatur. Satis is longum commentarium ſcripſit, e quo tamen non ſine improbo labore vix facti hiſtoria colligitur. Noſter autem, etſi per ſummam injuriam præteritus (quippe qui tum ſolus id argumentum pro dignitate tractare poterat) neque cum quoquam expoſtulare auſus eſt, neque ab integro, quod ei per leges licuiſſet, accuratius retractare in animum induxit; longe aliter atque ille, de quo ſupra mentionem feci, qui de elephantis natura & proprietatibus, contra quam æqui ratio, & ingenii ſcientiæque tenuitas ſuadebant, ut debitam noſtro gloriam eriperet, confeſtim libellum edidit, quo ſe omnibus irridendum præbuit. Ac neſcio quo fato factum eſt, ut poſtremis hiſce ſæculi XVIII. annis vel omnium ineptiſſimi ardua quæque aggrediantur; vel omnium ineptiſſimis difficillima demandentur: eo ſcilicet conſilio, ut Neapolitanorum nomen magis in dies evileſcat.

Nec vero quia foris pluris, quam domi fa-

ctus eſt; ideo non magni quoque fuit in patria; quemadmodum initio dixi: etenim ut apud omnium ordinum eruditos Viros litteratiſſimi famam adeptus erat, ſic a lycei profeſſoribus inter illuſtriores ultro referebatur, conſulebaturque omnibus in rebus, quæ ſubacto ingenio maturoque judicio indigebant. Sed præter ceteros carus fuit Mazochio, optimo acerrimoqué ingeniorum æſtimatori. Cujus ad noſtrum nobile exſtat carmen, in opuſculis poſtumis editum; quod hic lectori ſubjicere opportunum putavi. Inſcribitur carmen.

LAPIS INFERNALIS AD FRANCISCVM SERAVM ELEGO-EPOS.

O cui cuncta mei ratio otî, cuncta negotî
  Conſtitit uſque, mei o pars animi melior,
Cicce (*a*) Serae, mihi mulſi jucundior hauſtu,
  Et vini Thaſii ſuavolente anima:
Accipe quæ obſtreperus tibi garrio coram Aquaviva
  Legato, oranda eſt cras cui cauſſa gravis.
Sexta mihi, & quod adhuc excurrit, Olympias acta eſt,
  Unde caput languet, nec cerebrum in cerebro eſt.
Nec mihi profuerunt auctore Machaone mille
  Pocula, non minii pota metalla diu.
Jamque quaterdecimus minii nil proficit hauſtus;
  Tantum interna rubent viſcera cinnabari.
Nec

(a) Neapolitanis *Ciccius* idem ſonat ac Franciſcus.

Nec ſupereſt aliud, niſi ut urat utrumque lacertum
  Cantharis, & miſerum mî occiput igne notet.
(Ut bene me nuper Peppi (*a*) violentia Jorî
  Commonuit, quo non ſuavior acephalus;
Is, qui ex nocturnis horis, pariterque diurnis
  Verſiculum haud potis eſt dicere: quale caput!)
Scilicet ut triplici de ſtigmate profluus humor
  Peccator, cerebrum (credat Apella) levet.
Abnuat ire ichor? capitis ſudum illico opacant
  Nubila confuſæ dira melancholiæ.
Flectere tum nequiens ſuperos, Acheronta movebis,
  Artibus haud (abſit ſcrupulus) illicitis.
Quamlibet obtuſo Lapis auxilio Infernalis
  Unus erit: picei hunc ripa Acherontis habet.
Hoc caute admoto, conceptis non ſine verbis,
  Ternis ulceribus ter, cito parta ſalus.
Hujus ope obductus calli corroditur agger:
  Quæ modo cæca fuit, vena benigna fluet.
Objice nam rupto, totis (mirabile dictu!)
  Fervere de ſcatebris cernere erit ſaniem.
Qua data porta fluit, collum atque ignobile mentum
  Polluit atque humerum, haud indecori illuvie,
Lumborum tenus. Atque ut cruda Cerberus alvo:
(Paullisper dum Elegia, reſiſtito, mollibus uſque
Apta modis, tragicis incedere inepta cothurnis,
Quales ægrotans ſtomacho canis ille requirit)
Er-

(a) *Peppus* tantundem eſt Neapolitanis, ac Joſephus. Hic autem Joſephus Jorius concionator ferventiſſimus fuit; ſed eloquio infantiſſimus.

Ergo ubi jam triduo crudus recubabat in antro
Deliciæ Ditis genitoris Cerberus; ægro
Nec poterat ſtomacho ſuccurrere fotus & unguen:
Ilia anhelantem, & ſuſpiria crebra cientem
Inviſit Chiron juſſu Plutonis (in umbras
Qui tum forte leves pacta veterinus agebat
Rem medicam mercede) febriret, nec ne, ubi vena
Pulſibus explorata ſenem cito condocefecit,
Et rubor accenſi, æque ac ſubſidentia lotî;
Tum verò triplicem exſertari rite trifauci
Ore jubet linguam, vitrea quam non ſine lente
(Lippierat ſiquidem libri helluo) contemplatus:
Vertage Plutonis pulchelle, niſi infit, edendi
Sit modus, atque epulis poſitis virtutis amore
Fortem animam abſtineas, vereor, vitalis uti ſis.
Non eſt, crede mihi, triplici ſatis unus & idem
Gutturi aqualiculus: binos ſeu vi opprime rictus,
Seu regem pete, tergeminas multiplicet alvos.
Ten' peccatores centenos mandere, deinde
Conquerier ſtomachi vires nil rite coquentis?
Nunc præcepta ſibi haud iſtud pathos ethica poſcit,
Plenius ac melius quæ deinde doceberis. Uſus
Verum artis, Centaure, tuæ: nam quid moror ultra?
Fæce tenus ſiccanda tibi vomitoria, ſodes.
Nec tepidam jubeo tibi poni, aut hippecuanam, &
Qualia præſcripſi mortalibus olim, & equabus
Cardiacis, idem doctorque & mulio Achillis:
Cui ſtygiæ haud profecerunt radicitus herbæ.
Pharmaca nunc potiora tibi tentanda metallûm
De genere. Ecce tibi (ſenior ſimul extrahit unum

De

De pera lapidem, Stygio quem effoderat agro,
Quem pila pinſit vitrea, ut jam polline fallat
Indicis attritum cum pollice) quo, bone, circa
Aude: ſeu pilulas, ſeu mixtim juſcula mavis
Sumere, tergemina nunc Thracas amyſtide vinces:
(Clinico & interea riſus ciet arte Moloſſo)
Funditus exantlanda hodie ſentina carinæ
Iſtius; hinc ſtomacho vacuus, vacuabere nummis
(Qui Medicis debetur honor vel maximus) Iro
Ut non invideas. Dixi. Aſt his cetera dictis
Applauſere omnes Empirica turba, ſimulque
Denſa humeris plebes umbrarum admurmurat, ipſe
Cardiacus cauda venaticus adblanditur.
At Mulomedicus dirimens collegia, ternos
Ad ſummum uſque cados Stygia replet ipſe palude,
Inter cetera ſpecificum ignorabile miſcens
(Quod cata poſteritas vocat Infernale metallum)
Ac tandem hiſcendi, ac tria guttura aperta tenenti,
Tiſiphone admirante, ciboria terna propinat.
Nunc, Erato, aſſuefacta gravi pede ſæva duella
Condere, tute canas, quæ, & qualia tormina virus
Dira cacoſtomacho conciverit acre Moloſſo,
Donec ope Ilithyæ (aderat quæ parturienti)
Ructibus uſque olidis, dein & ſingultibus; acri
Excita cholera, per magna inferne ſuperne
Oſtia bis duo te exonerans grave olens Camarina
Allevat ingluviem, reſtagnantemque paludem
Ventriculi (infandum, viſu ac miſerabile monſtrum!)

Flumine quo totum maduit lacrimabile regnum,&
Ipſa redundavit genitoris regia Ditis.
Carmine quo referam Stygiæ damna ultima cymbæ?
Nam ſimul alluvies picei torrentis adepta
Occupat ire lacum rauco cum murmure, cautus
Portitor ipſe ſibi, multo vectore relicto,
In ripam erepit ſeſe expoſiturus in alga:
At ſcapha diluvii aſſultu reſoluta fatiſcit.
Jamque, Elegia, redi. Ut cruda, inquam, Cerberus alvo
Eructat triplici gutture colluviem:
Sic triplici pariter de ſtigmate profluet ichor:
Fit ſudum capiti, luxque ſerena redit:
Tanti Infernalis refert pernoſſe metalli,
Cicce, poteſtates ingeniumque. Vale.

Poſthæc pro Philippo V. & Ferdinando VI. Filio ejus, Hiſpaniar. Monarchis, graviſſime decumbentibus, poſtremoque de Philippi (qui Caroli utriuſque Siciliæ Regis natu maximus erat filius) inſanabili imbecillitate graviter, ut tanta res poſtulabat, ſcripſit. Doctrinæ diutiſſime obſecundantem fortunam expertus eſt; itaut Medicorum princeps ad ſenectutem uſque Neapoli haberetur, & ab omnibus in graviſſimo quoque caſu conſuleretur. Ingraveſcente autem ætate, quaſi etiam fortuna conſenuiſſet, de priſtina gloria excidere viſus eſt; non quod revera priſtinæ doctrinæ prudentiæque quidquam amiſiſſet, ſed quod ratio & dignitas non ſinebant, hominem natura ſerium conſtantemque ad blanditias & illecebras, nebulonum artes, quas juvenis averſatus exſecratuſque fuerat, ſenem delabi. Ut vero

ſe-

Digitized by Google

ſecundam fortunam modeſtiſſime tulerat, ſic adverſam ſapienter diſſimulavit. Quamobrem majorem laudem conſecutus eſt fortunæ injurias fortiter tolerando, quam proſpero ejus flatu minime abutendo.

Amicitia uſus eſt intima primorum Aulæ & Civitatis; quibus non modo ut ſummus medicus, ſed ut litteratus, & probus, & multi conſilii in arduis quibuſque negotiis explicandis cariſſimus fuit. A Medicis etiam (quod perdifficile creditur) adamatus obſervatuſque fuit: ea namque moderatione tam juvenes, quam ætate provectos, parum artis peritos commonefaciebat, ut ſimul edoceret, ſimul ſibi obſequentes redderet. Si quando autem cum pugnacibus, vel opinionis ſuæ nimium amatoribus medicis in conſilium adhibebatur, ſententiam ſuam ita pronuntiabat, ut nec aſpere, nec aperte cuiquam contradiceret; tamen ut æger, affines, aſſidenteſque quod ſibi verius rectiuſque videretur, ſatis intelligerent. Ac me admodum juvene præſente accidit, ut in magno medicorum congreſſu junior quidam medicus ſanguinis detractionem multis rationibus ſuaderet; ceteri vero improbarent: ipſe, ne contra ceteros ætateque & nomine graves medicos, junioris ſententiam confirmare videretur, ita diſſeruit, ut ſi in juniorem conjurati medici ſapere voluiſſent, prudens ejus conſilium fuiſſent aſſecuti: nimirum, ut ne junior de tot, natuque majoribus triumphare videretur, rem a ſe in medio relictam. At Vir ſapientiſſimus, ne officii cauſa ægri ſalus in diſcrimen adduceretur, congreſſu dimiſſo, juniori ad ſe vocato medico dixit,

ut

ut ſuis verbis ægroto affinibuſque ſignificaret, optimum factu eſſe, ſi vena aperiretur, & ſanguis abunde flueret. Aegrotis jucundiſſimus erat; in omnibus enim, quæ valetudini non obeſſent, facile indulgens; ea ratione motus, quod ſi eorum valetudini ſatis opitulari non poſſet, animo ſaltem mederetur. Quæ res ab imperitis tum medicis, tum medicinæ ignaris non ſatis perſpecta, occaſionem eis præbuit, ut alii litterarum quam medicinæ ſcientiorem; alii, ut medicinæ, utpote fallaciſſimæ artis, contemptorem dicerent. Vetus namque ſemidoctorum artificium eſt, eruditos medicos, vel, ut litteris plus æquo addictos, medendi uſu deſtitui; vel, ut medicinæ dogmata irridentes, ad clinicam impares prædicare, imperitæque multitudini perſuadere. Certe quidem medicus, qui longa ægros viſendi curandique experientia caret, medicinæ faciendæ idoneus non eſt; maxime ſi phyſiologicis doctrinis nimis addictus conſecratuſque ſit. At mere empiricus medicus æque, aut magis etiam curandis morbis eſt ineptus. Nec enim empiricus generalia obſervata corporibus recte accommodare; nec quæ ad ſalutem, quæ ad perniciem molitur natura, præcipua morborum medicatrix, (quo his reſiſtat, illis obſequatur) internoſſe didicit; nec ubi novi incidunt morbi, quo ſe vertat, tamquam imperitus nauta procul a terris tempeſtate abreptus, ſcit miſer. Contra vero medicus philoſophus & legendo, & obſervando, & comparando, artis brevia certius providet, diſtinguit, ac devitat. Nam etſi experientia medicinæ fundamentum eſt; niſi tamen experimenta ratione inſti-

ſtituantur, in plurimos eoſque graviſſimos errores empiricum, h. e. ratione non utentem medicum, plerumque inducunt. Corporum namque diſcrimen, varium vitæ victuſque genus, tot eiſdem nonnunquam in morbis diverſa afferunt accidentia & ſymptomata, ut niſi medicus ſagax ad ea, quæ potiſſima & maxime communia conſtantiaque ſunt, mentis aciem intendat, facile unius ejuſdemque morbi non modo ſpecies plures, ſed & plura diſſimillimaque genera (quod Gnidiæ Scholæ vitium fuit) faciat; quemadmodum non levi cum artis dedecore eveniſſe conſtat anno MDCCLXIV. in populari Neapolitanorum febre. Et viciſſim quandoque accidit, ut affinibus quibuſdam ſecundariis accidentibus ſymptomatiſque deceptus empiricus, diſſimillimos morbos pro uno eodemque accipiat; & diverſas, vel oppoſitas curationes poſtulantibus, ſine diſcrimine eamdem omnibus adhibeat. Quem vero fructum ex diuturna quavis ægrotorum obſervatione colliget is medicus, qui inter experimenta & experientiam quantum interſit, non aſſequitur? Idem prorſus inter mere empiricum & rationalem medicum intereſt, atque inter empiricum (experimentalem vulgo vocant) phyſicum & rationalem. Atque id apertiſſimum fit conſideranti, empiricos ab ſuis obſervatis nunquam diſcedere: nam ſive lætum, ſive triſtem exitum ſemel præjudicata ipſorum curandi ratio habeat; quotieſcumque idem recurrit morbus, eodem ſe prorſus gerunt modo; haud boni cogitantes, ejuſdem plane morbi, pro corporum, cauſarum, anni temporum, locorum, occaſionumque differentiis, curationem

va-

variare debere. Contra quidam adeo medicinæ infenſi ſunt, ut cum inter corpus & corpus diſcrimen aliquod animadvertant, eo inſaniæ deveniunt, ut tot propria, diſtincta, & particularia eſſe credant experimenta, quot ſunt homines. Quod ſi verum eſſet, actum eſſet de medicina. Quis autem, niſi magno rectoque ingenio, & philoſophiæ ſtudio diu multumque exculto, hæc opinionum diſſidia corrigere & conciliare poterit? Atqui hæc noſter mira ingenii perſpicacitate explicabat; & quantum generali corporum conſtitutioni, quantum eorum differentiæ dandum eſſet, definiebat, exempliſque & rationibus confirmabat. Cavillationes, ſophiſmata, & argutationes, tamquam infelicium ingeniorum monſtroſos fetus averſabatur. Adjiciebat fieri quidem poſſe, ut quis naturali ſollertia, longaque & ſedula obſervatione per ſeſe, ſine magiſtro, philoſophus ac medicus efficeretur; quales illi fuerunt, qui philoſophiæ & medicinæ primam formam dederunt: ſtultiſſimum tamen eſſe affirmabat, inventis jam longo tempore tot præclariſque doctrinis, ab initio curſum inſtituere. Nam quid aliud, niſi hoc, eſt actum agere? Quid quod primi illi philoſophiæ & medicinæ conditores, magni Viri fuerunt, comparate tamen ad agreſtes rudeſque homines, non ad illos, quorum ad nos libri, aut nomina pervenerunt. Inſiſtendam igitur viam eſſe inculcabat, quam illuſtres tot veterum nuperorumque auctores aperuerunt & explanarunt, eaque progrediendum, quo vel nova, vel utiliora, vel certiora & faciliora detegantur. Tametſi fatebatur, neminem, niſi natura ſagacem,

cem, & obſervandi, comparandi, experiundique ſtudioſum, in quo vera & frugifera philoſophia conſiſtit, ſedula quavis diuturnaque optimorum auctorum lectione, umquam philoſophum aut medicum exſtiturum.

Rerum mathematicarum phyſicarumque cognitionem ita commendabat in medico, ut medicinæ ſervirent, non imperarent. Qua in re tantum a nobiliſſimarum diſciplinarum contemptoribus, quantum ab intemperantibus laudatoribus diſcrepabat. Et jure: nam ut cuique arti mathematica & phyſica conferunt; ſic ingenium medici ſeveriſſima ratiocinandi methodo a ſophiſmatis tuentur. Proinde ratiocinium mathematicum cum primis laudabat; ſermonem vero mathematicorum, quo ſemidoctorum ætatis noſtræ totum continetur penus, æque damnabat, atque intempeſtivam illorum eruditionem, qui græca verba in latinam orationem per vim ingerebant. Nimium vero earum diſciplinarum ſtudium, ab inveſtigatione evidentium proximarumque cauſarum, e quibus oriuntur morbi, medicum avocat, imparemque medicinæ recte fructuoſeque faciendæ reddit. Quamobrem medicinæ parens Hippocrates, ut in aurea præfatione Celſus advertit, *primus ex omnibus memoria dignis, ab ſtudio ſapientiæ medicinam ſeparavit*. Non ideo tamen philoſophiam omni ex parte improbabat in medicina: cum novi graveſque aliquando incidant morbi, in quibus neceſſario, atque ſubtiliter philoſophari cogitur medicus, ſi aliquam ægris opem afferre velit: plerumque tamen experimentis rationibuſque inde, ac proxime deductis, ſtare debet;

K nec

nec ultra quærere. Ejus igitur ſententia nec omnino empiricus, nec nimium rationalis medicus eſſe debet; alter enim rationi perparum tribuens, ſolis experimentis artis propoſitum in diſſimillimis corporibus aſſequi nequit; alter ratione abutens, experimentis (quæ ratione, ceteris paribus, potiora ſunt) fidem derogans, ægrotos nimis philoſophando necat. Ab hac effreni philoſophandi licentia tot medicinæ ſectas, totque inter ſe oppoſitas medendi rationes (quæ medicinæ futilitatem potius indicant) profectas eſſe dicebat. Fatebatur, multa inveſtigatu digna eſſe in humano corpore, quæ phyſici mentem oblectent, & decori ornamentoque ſint medico in eruditorum hominum corona differenti; addebat tamen, horum pleraque vel nullum, vel perlevem uſum in artis operibus habere, atque a ſcitu utilioribus medicum revocare. Quam ob rem medicum a phyſiologo diſtinguebat. Medicum vero phyſiologiæ prorſus ignarum, injuria medicum vocari exiſtimabat.

Anatomes ſtudium perneceſſarium medico cum ſapientioribus veterum recentiorumque medicorum cenſebat: tum quod præcepta corporis fabrica facilius ſedes, & differentiæ morborum, & ſymptomatum cauſæ noſcantur; tum quod internis, an externis medicamentis rectius certiuſque vinci debeant morbi, diſpiciatur. Quæ duo, quanti in medicina facienda momenti ſint, verſatus in arte quivis intelligit. Præter hæc alii morbi univerſum corpus, ut febres; alii partem tantum aliquam, ut podagra, angina, aphthæ, ſcabies, ophthalmia, odontalgia, dyſuria, afficiunt;

ciunt; qui tam quod ad curationis genus, quam quod ad delectum & appoſitionem remediorum, longe diverſam a febribus curationem poſtulant. Nec raro accidit, ut ignoratione fabricæ corporis aut fruſtra internis medicamentis totum vexetur corpus, cum ſatis eſſet affectæ parti remedium imponere; aut fruſtra pars torqueatur, cum univerſum corpus curandum foret. Adhæc chirurgiæ peritum medicum optabat: & quod externi in oculos incurrentes morbi, tumores, ulcera, puſtulæ, inflammationes, gangræna, internis in ſenſus non incurrentibus melius intelligendis lucem afferant; & quod non raro incidant morbi, qui externis pariter atque internis remediis opus habeant; & quod aliquando medicus chirurgicas efficaces curationes expendere ac dirigere cogatur. Quare manifeſtum eſt, medicum accuratiſſimam externarum internarumque corporis partium fabricam noſſe debere, & ut internis recte occurrere, atque ut externis & localibus, ut ita dicam, morbis apte ſive remediis, ſive manu, ſive ferro mederi poſſit.

Anatomen vero dupliciter conſiderabat, comparate ſcilicet ad curativam, & ad philoſophicam medicinam. Ac prima ratione acceptam maximopere commendabat; ex qua, præter ſuperius memorata de ſedibus, & differentiis morborum, & ſymptomatum cauſis, tot locales medicinæ, totque chirurgicæ curationes cum externorum, cum internorum gravium morborum ortæ fuerunt. Secunda vero ratione acceptam, temperamento potius indigere arbitrabatur. Nam etſi abſtracte ratiocinando verum ſit, niſi perfe-

ſte cognita corporis fabrica, phyſicam ejus conſtitutionem, hoc eſt vitæ, ſanitatis, morborum mortiſque cauſas comprehendi non poſſe; verum tamen etiam eſt, ſolam quamvis exquiſitam corporis fabricæ ſcientiam, ad plenam vitæ, ſanitatis, morborum, mortiſque cauſas intelligendas, ſatis non eſſe, niſi humorum quoque natura, vires, uſus, agendique ratio perſpectæ ſint. Quin vel ſi utrumque medicus optime teneat (quod nec ſperandum eſt); non ideo naturalem, morboſamque corporis œconomiam, neque remotas proximaſque morborum & ſymptomatum cauſas ex toto umquam comprehendet. Quod noſter recenſione ſectarum, quæ a vetuſtiſſimis temporibus obtinuerunt ad hæc noſtra ordine deveniens, uberrime demonſtrabat. Errores veterum anatomicorum phyſiologorumque perplures diligentiore nuperorum inſpectione detectos, & nova anatomicorum inventa, quorum opera phyſiologia increverit, fateri non dubitabat. Nihilominus in eadem generationis, vitæ, ſecundæ adverſæque valetudinis, & mortis efficientium cauſarum ignoratione recentiſſimos phyſiologos eſſe, ac veteres fuiſſent in anatomicis phyſicisque rudes; quiſquis, depoſito partium ſtudio, rem ſerio conſiderarit, fateri debebit? Eapropter mirabatur, qui fieret, ut cum medicinæ parens Hippocrates medicinam a ſapientia ſepararit, & rurſum ætate noſtra ſapientiores phyſici, ſubtiliore abſtractaque philoſophia rejecta, ſeſe ad una fere experimenta retulerint; medici tamen obſtinate huic ſubtili abſtractæque philoſophiæ velificari pergerent? Tantum, ut dixi, ſubtilius philoſophari poſſe, ac

et-

etiam oportere affirmabat, cum novi graveſque orirentur morbi, quibus nec recepta philoſophandi ratione, nec expertis uſque artis auxiliis bene occurreretur. Sed neque tum a mere opinabilibus remotiſque rationibus philoſophandi principia depromenda exiſtimabat. Namque univerſim novos morbos ab una ex tribus cauſis proficiſci ſtatuebat: nimirum ex immutata qualitate victus; ex totius vitæ ratione mutata; ex commercio & commiſtione contagioneque diſſimilium diſſitarumque nationum. Quam ſuam hæreſim tot ab hiſtoria, & ab interioris philoſophiæ eruditioniſque penore deſumtis argumentis illuſtrabat, ut veri ſtudioſis facile perſuaderet.

Herbarum plantarumque notitiam (quam Græci botanicen vocarunt) medico magis, quam corporis humani fabricam, neceſſariam eſſe inculcabat: ſiquidem ex herbis & plantis maxima & tutiſſima medicamentorum pars, ipſa dictante natura, peteretur. Proinde magnopere querebatur, vetuſtiſſimam certiſſimamque medicinæ partem (quam ipſe juvenis accurate didicerat) ſuperioribuſque ſæculis a noſtratibus cupidiſſime excultam, ad finem vergente hoc ſæculo, non levi artis medicorumque dedecore, negligi ſpernique cœpiſſe. Hanc vero, quemadmodum & anatomen, in duas quoque partes diſpeſcebat: in eam ſcilicet, quæ ſpeciatim ad medicinam; atque in alteram, quæ ad hiſtoriam naturalem proprie pertineret. Priore contentum eſſe medicum volebat, phyſicæ hiſtoriæ cultoribus poſteriore permiſſa: ne rerum magnitudine obrutus, ea, quæ medicinæ propria ſunt, ignorare, aut contemnere videretur. Itaque

 hor-

hortum medicis plantis alendis unice deſtinatum, extra urbis mœnia ſalubri in loco ita commendabat, ut magis commendare non poſſet.

Officinam etiam pharmacorum medicæ juventuti privatim in concinnandis medicamentis erudiendæ addictam, prope hortum ipſum exſtrui cupiebat, quo oblectamenti ſpecie ſtatis, ferialibus ſcilicet diebus, juniores medici convenirent, & medicinales plantas ſæpius inſpectando noſſent, ac diſtinguerent, & medicamentorum compoſitionem, iterato obſervando, perdiſcerent, & per ſe exſequi poſſent. Hoc namque pacto tum compoſitorum medicamentorum facultates melius, quam ex auctorum deſcriptione, tum compoſitionis ipſius qualitatem penitus fore medicos cognituros augurabatur. Futurumque providebat, ut ægrotis tum metropolis, tum & maxime locorum vel a metropoli, vel ab urbibus pagiſque frequentioribus provinciarum longius diſſitorum rectius proſpiceretur; revertentibus ad provincias medicis rei herbariæ & pharmaceuticæ peritis; eoque a provincialibus pharmacopolis difficilius decipiendis. Etenim in mediterraneos provinciarum vicos, ab oppidis pagiſque frequentioribus remotos perſæpe effeta, vel fucata medicamenta a metropoli, aut a provinciarum oppidis mitti conſuerunt; quæ præſcribentis medici & aſſumentis ægroti ſpem fraudent. Cui pergravi malo non aliud præſentius auxilium eſt, quam medicus botanicæ & pharmaceuticæ peritus.

Chymiam quoque inter ſubſidiarias adminiſtraſque medicinæ artes locum ſuum, eumque non ultimum obtinere aſſeverabat. Nam ſive quod non ſine

ſine quodam artificio (quod multiplex eſt, diſtinctiſque nominibus deſignatur, ut *infuſionis*, *diſſolutionis*, *calcinationis*, *fermentationis*, *putrefactionis*, *deſtillationis*, *ſublimationis*, *extractionis*, *cryſtallizationis*, aliiſque) medicamenta e plantis, animalibus, foſſilibus, metalliſque elici poſſint; ſive quod ſic artificioſe expreſſa efficaciora ſint; ſive quod ita parata, facilius atque diutius ſerventur; ſive quod hoc artificio ab alienis, & vel inertibus, vel noxiis partibus ſecreta, minori quidem mole eaſdem vires habeant, minoremque ægrotis moleſtiam creent: certum quidem eſt, chymiam ab inanibus effictiſque promiſſis, & ridiculis arcaniſque vocabulis repurgatam, magnæ medicinæ utilitati eſſe; modo recte prudenterque ea medicus uti norit. Duo tamen præ ceteris in chymia obſervabat. Quorum alterum Boerhaavius ipſe, Chymicorum ætatis ſuæ princeps & fautor in *Prolegomenis ad Inſtitutionum Chemicarum tomum alterum* paullo poſt initium his verbis expreſſit: *Denique in hiſce concinnandis ſemper reſpicere ad Medicinam nolui, imo neque debui unice; licet ceterum aliis hanc artibus præferam: fatalius aliud haud accidit vel Chemiæ, vel Medicinæ, quam ſtulta opinio, quaſi cuncta, quæ Chemico naſcuntur opere, ſemper idonea forent in Arte Medica inſtrumenta. Sed & univerſæ Phyſicæ, haudquaquam Medicinæ ſoli, Chemiam famulari palam eſt. Vid. Part. I. a pag.44. ad 46. Pharmaceutice gaudeat Chemiæ operibus, neutiquam hancce ſibi ſoli vindicet.* Alterum vero, Medicos chymice paratis medicamentis plerumque uti, cum minime opus

 eſt,

eſt, vel ut curationes ſuas chymicis arcanis medicamentis peractas extollant, vel ut Pharmacopolarum commodis utilitatique ſerviant.

Chymicam Medicorum ſectam æque ac mechanicam vitiis laborare, indubiis rationibus demonſtrabat. Optimam autem illam medicinæ ſectam eſſe affirmabat, quæ ex mechanica & chymica ita contemperatur, ut ſua organis, fibris, nervis, muſculis, vaſis propria munia, & ſuas humoribus particulares vires attribuat. Actiones namque corporis ex ſolidorum & humorum conjunctis operis proficiſci, pro certo ſtatuebat. Inſitam vero primariis vitæ organis vim ineſſe, quam alii contractilem, alii elaſticam, alii irritabilem vocarunt, evidenter tum experimentis, tum etiam rationibus doceri perſuaſum habebat. Itaque medicinam tam *theoreticam*, quam *therapeuticam* Hallero plurimum debere fatebatur, qui vim hanc pluribus luculentiſſimiſque experimentis extra omnem dubitationis aleam poſuiſſet. Attamen vim illam veteribus ſuboluiſſe, Galenum teſtem eſſe in pulcherrimo experimento de arteriarum *diaſtole* adverſus Eraſiſtratum; dein recentioribus, præſertimque Bellino in tractatu de motu cordis uberius cognitam fuiſſe adjiciebat. Perfectæ igitur abſolutæque, non autem inventæ ejus doctrinæ gloriam Hallero referendam eſſe aſſeverabat; non ſecus atque inſenſilis cerebri naturæ, cujus ſatis jam Theophraſtus Ariſtotelis diſcipulus aliquid præceperat. Quæcunque tamen vis illa ſit muſculis & muſcularibus fibris inſita, niſi a ſanguine aliiſve humoribus excitetur, iners prorſus & mortua vis eſt. Poſtremo ſenſilis nervorum natura

(nam

(nam evidentiſſimis Halleri experimentis quantacumque vi puncti irritatique nervi, nihil vel decurtantur vel convelluntur ; contra quam mechanici opinabantur) ſi ſanguine humoribuſque nervi non irrigentur, ſenſilis eſſe deſinit. Animalium humorum naturam non prorſus paſſivam eſſe, ut crediderat Pitcarnius, ſed ſatis actuoſam tam in ſecunda, quam, & maxime, in adverſa valetudine ; nec ſanguinem exuberantiore tantum, aut parciore copia, verum etiam qualitate : nimirum aucta, vel diminuta denſitate ; & acriore, vel effeta & vapida indole peccare ; & actiones corporis diverſa ratione lædere, & diverſi generis morbos efficere, diverſeque curandos, evincebat. Hac in re Chymicos non minimum medicinæ emolumentum attuliſſe affirmabat ; quippe qui humorum vitia diſtinguere & aptis remediis corrigere anniſi fuerint. Cum vero experimentis ſuis dumtaxat & pertinaciter inhæreſcerent, & quæ in aliis diſſimillimæque naturæ liquidis, extraque animalis corporis viſcera & vaſa experti fuerant, animalium humoribus accommodarent, in abſurdiſſimas doctrinas, parileſque medendi rationes abierunt. Ac ſicut Mechanici a ſolidarum organicarumque partium præternaturali ſtatu morborum omnium cauſas repetentes, humorum vitia (quæ frequentiora ſunt, & medicinæ facilius obediunt) neglexerant ; ita viciſſim Chymici ſolidarum organicarumque partium vitia (quæ curatu longe difficiliora ſunt) inſuper habuerant. Quamquam igitur Chymici ab experimentis rationes doctrinaſque ſuas deducere conabantur ; tamen quia alii aliis experimentis palmam deferebant, diverſas ſententias,

di-

diverſaſque medendi vias inire cogebantur. Et inde plures inter ſe oppoſitæ Chymicorum ſcholæ intra exiguum tempus exſtiterunt, quam a vetuſtiſſimis temporibus ad Chymicos, philoſophorum numerantur ſectæ. Mirabatur vero noſter, qui ſibi perſuadere quiverint Chymici, a foſſilibus, potiſſime vero a metallis, quorum ab animali corpore alieniſſima natura eſt, remedia peti oportere. Omnium namque ætatum, & omnium gentium hiſtoria, & conſtans quotidiana experientia docet, ab orbe condito ad ætatem noſtram, alimenta, & medicamenta a plantis & animalibus, non a foſsilibus, minimeque a metallis, homines deſumſiſſe, & uſque & ubique deſumere. Stomachabatur etiam, eruditos acrique ingenio præditos viros (quos inter magnus Eraſmus fuit) ex Chymicorum promiſſis, eorum fraudem inſcitiamque non perſpexiſſe. Ecquis vero a riſu abſtinuerit legens, eo inſaniæ Chymicos deveniſſe, ut univerſalem morborum omnium medicinam, & longævitatem pollicerentur? Tum quis adeo ſtipes eſt, qui ex tot monſtroſis ſenſuque carentibus vocabulis, & ex tot arcanis notis, quibus utebantur, fallaciſſimum eorum ingenium non detegit? Hæc noſter ita ſerio, accurate, eloquenterque explicabat, ut inanem Chymicorum jactantiam, & ſubdolam fidem patefaceret, ac refelleret. Advertebat tamen, ætate hac noſtra, quæ tantopere ſibi placet, ut philoſophicæ nomen aſſumſerit, veterum chymicorum exploſum ejectumque ſermonem revocatum fuiſſe: quod niſi eis, quibus cor ſapit, compertiſſimum ſcirem, perlon-

ga ſerie antiquorum recentiumque monſtroſorum nominum, quibus veteres nuperique Chymici remedia ſua nuncuparunt, demonſtratum irem. Hujus autem artificii non alius fuit finis, niſi ut rudi & ignaro popello, qui plurimi facit quæ non intelligit, facilius imponeretur. Cujus ſubdolæ artis cum nihil prorſus apud veteres Medicos, ab Hippocrate ad Arabes noſter inveniſſet, Chymiam, tamquam medicarum fraudum fundum averſabatur, & chymica remedia plus æquo improbabat. His autem rationibus acceſſerant graviores aliæ duæ non prætereundæ. Prima fuit, quod univerſim chymici anatomen, & veterum medicorum obſervata, quibus tota nititur rationalis medendi ars, contemtui habentes, genera, ſpecies, differentiaſque morborum, & ſigna, & progreſſum, converſionem, exitumque morborum nec ſcirent, nec addiſcerent; & acutos peræque ac longos, & ſalutares malignoſque morbos una eademque ratione aggredientes, ægrotos, perpaucis, quorum valentior erat natura, exceptis, audacter occidebant. Secunda ratio fuit, quod ætate ſua veſana per acidos violentiſſimos ſalium foſſiliumque ſpiritus cunctos morbos curandi ratio Medicorum mentes invaſerat, manifeſta cum ægrotantium pernicie.

Ut igitur rem univerſam in pauca contraham, non chymiam per ſe, quæ phyſicæ utiliorem ſubtilioremque partem, artibuſque perneceſſariam complectitur, damnabat, ſed pravum importunumque uſum ejus in medicina. Ipſe namque remediis chymice paratis tempeſtive conſiderateque utebatur, e plantis præſertim elicitis. Ferre tamen

non

non poterat eorum calliditatem, qui ut operam ſuam extollerent, lac deſtillatum potius, quam aqua multa dilutum & percolatum, ægrotis dabant, & herbas cum ſero lactis vel aqua deſtillabant, cum ſatius atque utilius eſſet, ſimplici infuſione decoctioneve præbere. Iraſcebatur autem vehementius cum eis, qui e peruviano cortice neſcio quod ſal laborioſiſſime extractum, præ cortice ipſo in pollinem redacto, prædicabant. Quis enim, ajebat Vir conſultiſſimus, reperit, corticis vim in ſale & non in alia ejus parte, vel in tota maſſa, conſiſtere? Diuturnis enim conſtantibuſque experimentis conſtitiſſe aſſeverabat, corticem ipſum totum prodeſſe in quibuſdam febribus, & paucis aliis in morbis: itaque ſanum conſilium eſſe, nihil innovare, & integram corticis maſſam, tantum in pollinem redactam, ut deglutiri facilius queat, præſcribere. Hujus generis plurimas turpiſsimaſque calliditates, quas reticere præſtat, referebat atque exſecrabatur. Fallacias igitur chymicorum, non chymiam ipſam damnabat, quæ recte opportuneque adhibita, medicinam novis frugiferiſque inventis, naturalem morboſamque humorum indolem definientibus; & medicatarum aquarum veras facultates detegentibus; & novis efficacioribuſque remediis, ex triplici, ut ipſi ajunt, naturæ regno petitis locupletaret. Quare chymiam in duas quoque partes, non ſecus ac anatomen & botanicen diſtinguebat; quarum altera, & minor, medicinam; major altera univerſam phyſicam arteſque e phyſica aut proxime aut maxime proficiſcentes ſpectabat. Statuerat novam Pharmacopæam condere, ejectis re-

ſectiſque tot ſuperfluis, falſis, frivoliſque, quibus tam patria Donzelliana, quam aliæ externæ recentiores refertæ ſunt; veris, utilibus, tutioribuſque remediis tum ſimplicibus, tum compoſitis adjectis. Sed cum admodum ſenex Archiater evaſerit, cui id munus demandatum eſt, optimum ſaluberrimumque conſilium exſequi non potuit. Satis autem, opinor, ex huc uſque dictis, quantus & litteratus, & philoſophus, & medicus, & (quod majus eſt) quam veri honeſtique cultor fuerit, colligitur. Ad cetera nunc, quæ medicam ejus peritiam propius & preſſius explicant, progrediendum eſt.

Primo Hippocratis obſervata, præcepta, & præſagia memoriter tenebat: itaut ſiquis ea falſo citaret, corrigere poſſet; quod tamen perraro, nec niſi cum amico, diſcipulove faciebat. Memini vero, cum in graviſſimo ac plane deplorato ægroti caſu medicus quidam audaciſsimum remedium proponens, Hippocratis auctoritatem & verba: *Satius eſt anceps auxilium experiri, quam nullum*, citaſſet, noſtrum placide reſpondiſſe: Celſi, non Hippocratis illa eſſe verba: Hippocratem vero contrarium præcepiſſe notiſsimis verbis: *Deſperati non ſunt attingendi*. Tanto autem Hippocratis ſtudio ducebatur, ut Galenum non alia cauſa pluris faceret, quam quod Hippocratis doctrinæ aſſertor & vindex fuiſſet. Impenſeque laudabat Boerhaavium, quod is orationem *de commendando ſtudio Hippocratico* publice habuiſſet in patrio Lyceo. Hippocratis lectionem eis verbis auditoribus commendabat, quibus eloquentiæ ſtudioſis Ciceronis lectionem Quinctilianus. Nec dubitabat affirmare, medicum, qui Hippocratis obſer-

ſervata, nimirum ſigna, curſum, converſionem, exitumque morborum accurate memoriæ mandaſſet, atque in ægrotis ipſe probaſſet, etiamſi ceteris medicinæ ſubſidiariis artibus non ſatis eſſet inſtructus, ceteros Medicos omnibuſque ſecundariis medicinæ adjumentis præditos ſuperaturum. Galeni lectione diſertos, eruditos, argutoſque fieri Medicos; Hippocratis vero lectione ſedulos morborum indagatores, naturæque interpretes & imitatores. Eapropter qui Hippocratis libros ſerio legiſſet, & morborum curſum diu attenteque obſervaſſet, perpaucis remediis plus conſecuturum, quam qui vitam recentiorum voluminibus legendis conſumſiſſet.

Ex ſignis morborum tria noſter potiſsima judicabat: ægri vultum, ſpirandi modum, & vires. Cetera ſigna, in primiſque arteriarum pulſus non aſpernabatur; ſed tribus illis maxime fidebat. Arteriarum namque pulſus, quibus plerique unice credunt, cum fallaces eſſe, tum Medicos negligentes effeciſſe aſſeverabat: peritum enim medicum ex ipſo ægroti vultu, & ſpirandi jacendique modo, acceſſerit, an deceſſerit, & ingrueret, an non febris, certius, manifeſtiuſque intelligere, quam ex arteriarum pulſibus. Proinde Herophili, Galeni, & Sinenſium ſubtiliſsimam *ſphygmicam* doctrinam, mirabilium amatoribus hodie ſummopere probatam, phyſiologicis concertationibus potius alendis, quam morborum indiciis, differentiis, ſedibuſque rectius explicandis conferre. Quis enim ita vel tactu acutus, vel tam ingenio plumbeus eſſe poteſt, ut ex ſolo arteriarum pulſu inflammationem cerebri ab inflammatione pulmonum,

num, jocinoris, ſepti tranſverſi, renum, ventriculi, inteſtinorum, veſicæ, uteri, teſtium diſtinxerit? Et vero ſi cerebrum, pulmones, jecur, & ceteræ modo recenſitæ partes, cum inflammatione corripiuntur, æque febrim movent; evidens eſt, febrim, ut commune quarumvis inflammationum ſymptoma, ſingularum inflammationum loca & ſedes non indicare. Atqui febris particulare cordis & arteriarum motus, ſive cordis & arteriarum pulſus vitium eſt; ergo quælibet inflammatio pariter cor & arterias afficit, pariterque celeriores crebrioreſve pulſus efficit. Major autem vel minor febris, & major vel minor arteriarum tenſio, magnitudo, & alia quævis differentia, non tam partis affectæ particularem naturam, quam aut inflammationis diverſam intenſitatem, aut variam corporum conſtitutionem, aut utrumque ſimul denotat. Paronychia, ex. gr. quæ tantulam corporis partem affligunt, nonnunquam febrem excitant, & dolorem, anxietatemque internæ graviſſimæque inflammationi perſimilem. Nec febris unius inflammationis tantum comes eſt, ſed ſuppurationis, & variolarum, & morbillorum, & complurium internarum externarumque celerum lentarumque tum ſalutarium, tum pernicioſarum, affectionum. Quamobrem Galenus, qui pulſuum genera & ſpecies tot diſtinxit, ut potius imaginationi, quam obſervationi obſecundaſſe cunctis in clinica exercitatis viſus ſit, ad cetera propria & privata ſingulorum locorum ſigna confugit, ut ſingularum affectarum ſedium certiora indicia detegeret. Nimium igitur ſibi plaudunt, qui ab una pulſuum arteriarum qualitate ſedes morborum

rum dignoſci affirmant. Illi vero, qui ſingulis morbis ſingulas, propriaſque pulſuum ſpecies aſſignant, in maxima tum phyſiologiæ, tum *ſemeioticæ* ignoratione verſantur. Nam quæcunque interna, vel externa cauſa ſanguinis motum celeriorem tardioremve reddit; cordis, adeoque arteriarum motum celeriorem tardioremve efficit. Alia pulſuum vitia, quæ tam cum febri, quam ſine febri obſervari ſolent, ut inæqualitas, intermiſſio, durities, mollitudo, robur, debilitas, tremor, magnitudo, parvitas, reſultus (quem ultimum, *dicrotum* pulſum vocant Medici) ut cetera maximam partem ficta prætercam, a ſingulis ſedibus pariter affectis, non ſecus ac febris, dolor, convulſio, oriuntur. Ex quibus certo conficitur, permiram Sinenſium *ſphygmicam* doctrinam commentitiam eſſe, fallendiqui creduli popelli tantum gratia adinventam.

Hæc noſter cum rationibus edocebat, tum obſervationibus magis confirmabat. Ingenue tamen fatebatur, medicinam ſine aliquo præſtigiarum fallaciarumque velut condimento exerceri neutiquam poſſe. Idque Sinenſis juvenis Medici, qui cum aliquot popularibus ſuis in Chriſtiana religione inſtituendis paullo ante Neapolim forte advenerat, & pluribus noſtrorum hominum, peregrinarum quarumlibet opinionum admiratorum, ſpecimen *ſphygmicæ* Sinenſis vaticinationis dederat, belle atque appoſite illuſtrabat. Sinenſis hic autem novus Apollo imperitis adoleſcentibus, & virgunculis, aliiſque medicinæ ignariſſimis; docto vero, ſagaci, & medicinæ perito nemini ſinenſem e pulſibus morborum genera & ſe-

ſedes divinandi artem probaverat. Tantopere autem Sinenſis hic Medicus in *ſphygmica* vaticinatione profecerat, ut, quemadmodum a nonnullis accepi, qui ab ejus ore prolata audierant oracula, cuidam valetudinem, quam decennio ante toleraverat, & e qua integre convaluerat, e pulſibus cognorit, ipſique in memoriam revocarit. At enim is decennio ante ægrotaverat, & tum ſanus & valens erat. Quæ igitur tanto ante perpeſſæ, ac penitus exſtinctæ ægrotationis in pulſibus reliqua nota eſſe potuit? Tamen ex hac una tam inani ridiculaque divinatione, quæ recti ſenſus quemque de *ſphygmicæ* totius ſcientiæ futilitate commonuiſſet, noſtrates compluſculi ſcioli juvenes maximum *ſphygmicæ* Sinenſis doctrinæ argumentum depromſerunt. Quid vero *ſphygmicæ* divinationis ſectatores dicerent, ſi ad ægros deducerentur, quibus arteriarum pulſatio vel ex inedia, vel terrore, vel alia qualibet cauſa ex toto intercidiſſet; & nihilominus vivere non deſiiſſent? Aut quid malignis eis in morbis pronunciarent, in quibus pulſus naturalem motum ſervant? His omnibus noſter addebat: ſi vultus, oculi, vox, vires, ſpiritus, lingua, lotium, excretioneſque aliæ, decubitus, ſomnus, vigilia, mentis ſanitas, delirium, calor, frigus, anxietas, ſitis, hypochondriorum tenſio, ſublatio, mollitudo, pulſus, & tot alia ſigna attente perpenſa, non ſemper naturam ſedemque morbi certo indicant; quæ iſthæc *ſphygmicorum* confidentia Medicorum eſt, ab unica, quamvis attentiſsima, motus arteriarum exploratione, morbi ſedem, ingeniumque noſci poſſe affirmantium? Concludebat igitur, a veritate tam

aberrare doctrinæ *ſphygmicæ* exaggeratores, quam rationalis, vel empiricæ, chymicæve ſectæ pertinacius addictos.

In curationibus prudentior, an felicior fuerit, non facile dixerim. Nihil enim pronuntiabat, vel præſcribebat, niſi ſciſcitando & obſervando ægrotantis & morbi ingenium probabili ratione cognoviſſet. Peracutis in morbis, in quibus cunctari periculoſum eſt, omnibus circumſpectis, alacrius feſtinantiuſque quod ſibi eo re futurum videbatur, imperabat. In acutis caute ſe gerebat; in epidemicis lentius & timidius; in longis vero multo quam in ceteris omnibus conſideratius. In univerſum tamen malebat paullo cunctatior, quam audentior exiſtimari; ea ratione ductus, quod ſine natura optima quæque artis auxilia nihil proficerent; & quod nonnunquam natura per ſeſe morbos abigeret; & quod perſæpe nimia feſtinatio male cederet.

Dies criticos & criſes obſervabat, ſed non ſuperſtioſe, ut, eorum cauſa, occaſionem rei bene gerendæ amitteret. Nec vero paribus imparibuſve diebus vim ullam tribuebat; ſed cum criſes certo plerumque tempore, maxime ſi præpoſtere datis medicamentis natura non laceſſeretur, contingerent, ex frequentiore criſium tempore dies criticos ortos eſſe, non viciſſim criſes ex diebus criticis recte acuteque conjiciebat. Quod cum veteres experientiſſimi phyſici (Pythagoras in primis, qui poteſtatis numerorum auctor creditur) primi rationalis medicinæ conditores obſervaſſent, ſive ut hoc myſterii velo criſium obſervationem rudi populo fortius commendarent, ſive ut arcani vi me-

di-

dicinæ ſcientiam celarent vulgo, criticorum dierum doctrinam exaggerarunt. Revera quidem criſes certum tempus poſtulare, inter omnes medicos conſtat, qui experientiam ſæpe ac ſedulo conſulunt: Nec ratio abludit. Nam ut materia, quæ morbum facit (nullus enim morbus, docente Hippocrate, ſine aliqua materiæ excretione tuto deſinit) blande leniterque, h.e. ſine magna virium jactura, a ſanguine ſecernatur, colligatur, & in loca convenientia amandetur & expellatur, certum tempus requiritur. Quod certum ſtatumque tempus cum in dies impares plerumque incidere notaſſent Pythagorici, magnam idcirco diebus imparibus, adeoque imparibus numeris vim tribuerunt. Ita noſter rem obſcuriſſimam & maxime controverſam veri ſimillima ratione explicabat. His plura ex phyſicis & medicis adjiciebat, quibus ſua opinio magis confirmabatur. Ex obſervatis namque in ovo incubato, certo tempore corporis partes formantur; certo tempore vivere incipit animal; certo tempore vocem edit; certoque tempore moveri, & ſuæ vitæ munia obire occipit. Item certo tempore mulieres utero gerunt, certoque pariunt. Tum infanti certo tempore dentes erumpunt, decidunt, renaſcuntur. Certo quoque tempore homo ratiocinandi vim, vires, pubertatem adipiſcitur. Adhæc ſui ſingulis ætatibus ſtatique morbi ſunt; qui certo ſtatoque tempore ſalutariter, aut contra, curriculum ſuum conficiunt. Poſtremo, certo tempore increſcunt conſiſtunt, declinant morbi; certoque tempore naturæ ſponte vomitus, alvus, ſudor hæmorrhagia moveri ſolet. Itaque ſolers medicus ſæpe ob-

ſervat, medicamenta ante certum tempus, quo ſecreta, collecta, & in *excretoria* loca & vaſa depulſa ſit materia morbi, aſſumta, effectu deſtitui. Atque in hoc materiæ coctionem tantopere medicis ab Hippocrate inculcatam, conſiſtere, nemo in ejus, & Galeni lectione verſatus ignorat. Quoniam vero non ita perpetuo temporibus hiſce reſpondent criſes, ut non aliquando citius, vel ſerius eveniant; ideo non ita ſtricte ac ſuperſtitioſe dies critici obſervandi ſunt, ut aliquando medicamenta citius, vel tardius præcipi ſumique non poſſint. Quod Hippocrates ipſe in aphoriſmis non ſemel monuit. Nec quia criſes aliquando accidunt diebus non criticis; ideo dies critici, ut Pythagoricorum numerorum commentum deridendi ſunt. Etenim obſervata Hippocratis, ut cum experientiſſimis veterum nuperorumque noſter ſentiebat, ut plurimum, non perpetuo vera ſunt. Præcepta vero, curationes, præſagia, remediorumque facultates, ex eis, quæ plerumque accidunt, quemadmodum & leges, conſtituuntur. Sic autem rem habere, ex eiſdem, quæ paullo ſupra dicta ſunt, colligebat. Nam quæ de ovo incubato, vitæ exordio, reſpiratione, voce, motu, viribus, ceteriſque vitæ actionibus in pullis phyſici obſervarunt, non ad amuſſim ſemper eodem temporis ſpatio abſolvuntur: quod optime norunt qui ſeu quæſtus, ſeu oblectamenti cauſa fecunda ova matricibus gallinis ſupponunt. Idem de prima & ſecunda dentium eruptione in pueris, deque rationis & pubertatis tempore obſervatur: non omnibus enim ſeptimo menſe erumpunt dentes, nec omnibus
ſe-

ſeptimo anno decidunt, & firmiores renaſcuntur; nec omnibus idem rationis & pubertatis, adoleſcentiæ, virilitatis, & ſenectutis tempus eſt. Nec pariendi tempus in mulieribus, quamquam univerſim nono ſolari menſe expleto definiatur, adeo tamen fixum & præſtitum eſt, ut (excepto abortu, cujus quidem nullum certum tempus eſt) aliquanto brevius, aut longius fieri nequeat. Quod autem de ſeptimeſtri vitali partu, & mortali octimeſtri vulgo creditur, id ex præjudicata vulgi opinione de imparium pariumque numerorum diverſa poteſtate (ex qua anilis etiam timor annorum climactericorum profluxit) non ex ſedulis iteratiſque obſervationibus manavit. Nam ſi mulieres ſeptimo menſe parientes, mortuos, vel imbecillos paulloque poſt morituros fetus edunt, octavo ſe menſe peperiſſe ajunt, & per errorem ſeptimo crediidiſſe; & ſi octavo parientes, validos ſanoſque, ſeptimo ſe peperiſſe affirmant, & in menſium numeratione ſe pariter erraſſe. Tanta veterum communiumque errorum vis eſt! Sicut autem vitalis eſſe poteſt tam ſeptimeſtris, quam, & probabilius, octimeſtris partus, utpote nonimeſtri propior; ita & qui decimo, vel undecimo menſe naſcitur vitalis eſſe poteſt. Neque abſurdum videatur, decem & undecim menſes aliquando mulieres geſtare citra ſuum & fetus detrimentum; nam id accidiſſe, nec ſemel, plures graviſſimique teſtantur auctores. Nec rationi adverſatur, legitimum pariendi tempus, quod uno & altero menſe contrahitur ſine ullo matris fetuſque incommodo, tantumdem quoque parique exitu produci poſſe. Laxioribus enim ſpatiis partus,

tus, vitæ, valetudinis, morborum, mortiſque tempora natura circumſcripſit, quam ficti Pythagoreorum numeri præfiniunt. Eſt in his, quemadmodum & in ſanitate, *latitudo* quædam medicis animadverſa, ſic ut non in puncto individuo, ſed in quantitate temporis phyſica & menſurabili, & modo majori, modo minori, pariendi, vivendi, valendi, ægrotandi, convaleſcendi, moriendique termini conſiſtant. Credibile tamen eſt, vetuſtiſſimos ſapientes, ut certas regulas legeſque medicinæ conſtituerent, eos naturalibus morboſiſque humani corporis actionibus terminos præfixiſſe, quos aut experientia frequentiores eſſe obſervaſſent, aut coacervatione quadam maximorum & minimorum facta, medios inter extremos comperiſſent. Statuariorum pictorumque exemplo noſter id pulcherrime comprobabat, qui eodem prorſus modo proportionem membrorum corporis humani inter ſe, & cum toto corpore ſtatuiſſent; quamvis ea perraro, ſi unquam, in aliquo obſervaretur. Atque ex hac ipſa proportione, Pythagoram Herculis proceritatem calculo definiviſſe aſſeverabat; nimirum comparatione ſtadii Olympici ab Hercule decurſi ad alia ſtadia ab aliis communis altitudinis hominibus pari pedum numero dimenſa. Ex majori enim ſtadii Olympici longitudine majorem pedis Herculei magnitudinem collegit; & inde Herculei totius corporis majorem, quam aliorum hominum, magnitudinem. Quæ concluſio etſi peringenioſa, a veritate tamen aberrat, ut plerique mathematicorum calculi, cum ad phyſicam traducuntur. Innititur enim calculus certæ illi proportioni membro-

brorum inter ſe & cum toto corpore; quæ, ut prædixi, imaginaria eſt; non aliter ac Veneris forma ab Apelle depicta. Sicut autem mathematici calculi niſi veram, proximam tamen rerum menſuram certius, quam rationes aliæ definiunt; ita dies criticos criſium tempora certius definire affirmabat. Cetera, quorum ſupra mentio facta eſt, ſimiliter explicabat. Morbis enim, quibus quodammodo privatim pueri, adoleſcentes, juvenes, mares, feminæ, virgines, mulieres, utero gerentes, puerperæ, fecundæ, ſteriles, ſenes obnoxii ſunt; alii quoque aliarumque ætatum, tam mares, quam feminæ, quamquam rarius, ſubjiciuntur. Nec vero pueri, adoleſcentes, ceterarumque ætatum homines, qui morbis quibuſdam patere ſolent; ad unum omnes aut eodem ætatis anno, aut cum eiſdem prorſus ſymptomatis eos experiuntur; nec peræque omnes periclitantur; nec eiſdem criſibus, vel eodem tempore accidentibus liberantur. Ultimo etſi morbi certo quique tempore increſcunt, conſiſtunt, & declinant; non raro tamen ejuſdem generis acuti morbi alias ſeptimo, alias quartodecimo, alias viceſimo (vel, ut malunt alii, qui ſeptenarii poteſtatem reverentur, altero & viceſimo) alii alio die vel in ſalutem, vel in mortem finiunt, eodem auctore Hippocrate. Cur enim, ajebat, paullo citius ſeriuſve, quam ſolemnes decretorii dies finiunt, prout materia morbum faciens coctu facilior, vel difficilior eſt, aut ei ſubigendæ validior, vel imbecillior eſt natura: ſexto nimirum pro ſeptimo, & tertiodecimo pro decimoquarto, & undeviceſimo pro viceſimo, aut primo & vice-

ceſimo, cum coctu facilior eſt materia, aut valentior natura: viciſſimque octavo, & quintodecimo, & ſecundo & viceſimo, pro ſeptimo, decimoquarto, & viceſimo criſes, cum coctu difficilior eſt materia, aut imbecillior eſt natura, aliquando evenire: & ſextus, tertiuſdecimus, undeviceſimus; aut octavus, decimuſquintus, ſecundus & viceſimus, dies critici fieri non poſſunt? Si ſeptenario, e quo bis, ter, quater, vel pluries repetito ceteri dies critici oriuntur, poteſtas auferatur, coctiones, criſes & dies critici, adeoque ſumma Hippocraticæ doctrinæ, ſalva erit, & rationi magis conſentanea. Neque in Hippocrate, Galeno, aliiſque, id genus dierum criticorum exempla deſunt. Non quia tamen criſium dierumque criticorum laxiora ſunt ſpatia, quam ſuperſtitioſi numerorum obſervatores opinabantur; ideo prorſus laxa & incerta ſunt, nulliſque plane legibus coercentur, ut quidam veterum ſcitis obſervatiſque infenſi arbitrantur. Ita noſter criſes dieſque criticos cum ratione concilians, tuebatur.

Præter hæc, cetera quoque ſigna a ceteris corporis actionibus, excretiſque peti ſolita, & alia, quæ vel difficulter ſeſe produnt, vel niſi ab ipſo ægroto diſci poſſunt, interrogando eliciebat. Hac ratione totius corporis ſtatum edoctus, morbi cauſam, ſedem, exitum, quantum ſolerti peritoque medico inquirere datum eſt, cognoſcebat, & curationem, ſi morbi ægrique conditio pateretur, fidenter aggrediebatur. Si vero primum ab aliquo arceſſebatur, cujus ipſe naturalem valetudinem (nam ſua cuique fere propria eſt valetudo; quod qui neſcit, vel negligit, num-

quam

quam excellet in arte) vultum, vocem, habitum, ingenium, mores, ſtudia, vitæ genus, morbos ante perpeſſos, & auxilia, quibus vel naturæ, vel artis ope ad ſanitatem revocatus eſſet, non noſſet; ſigillatim hæc omnia ab ægroto exquirebat; vel ſi is morbo, ætate, vel alia quavis cauſa denarrare non poſſet, operam dabat, ut vel a ſuis, vel a familiaribus doceretur. Quippe memoria Hippocratis illud tenebat, docti prudentiſque medici eſſe, tam communia prænoſſe, quam cuique propria, prout res & occaſio ferret, diſcere; quo morbi & ægrotantis indolem certius noſcat, opportunioremque adhibeat curationem.

In popularibus tantum morbis ſupervacuam tantam hanc ſollicitudinem eſſe affirmabat, cum eadem in omnibus ægrotationis ſit cauſa, & vel ſimilia ſint corpora, quæ eadem cauſa offendantur, vel cauſæ vis tanta ſit, ut diſcrimina ex variis corporum temperamentis profecta ſuperet, & omnia ſimili fere modo afficiat. Nihilominus neque in peſtilentia, quæ popularium morborum vehementiſſimus & unius ejuſdemque generis morbus eſt, accidentia, ſymptomata, curſus, & exitus idem prorſus eſt in omnibus; quod ex differentia corporum oritur.

In popularibus præter ea, quæ in gravi quoque morbo ſedulus perituſque medicus obſervare debet; quod gravius eſſet ſymptoma, & quid utiliter natura moliretur, attente notabat. Inde quid agendum eſſet, ut graviori ſymptomati occurri, & ſalutari naturæ molimini ſuccurri poſſet, colligebat. Quod facto præſtitit in populari febre, quæ Neapolim tantopere affli-

xit anno MDCCLXIII. Nam primo cum contagioſa febris eſſet, regni procuratoribus, in Regis pueritia, perſuaſit, ut extra urbem in aperto temporaria noſocomia in ditiorum civium villis locarentur, in quæ ruſtica & urbana plebes morbo implicata, & pars ægrorum, qui urbana noſocomia nimis conferta & peſtilenti pene halitu medicos inficientia reddiderant, deportarentur. Atque prima hæc de ſalute civitatis bene ſperandi lux affulſit. Hoc enim conſilio paullatim mitior febris facta, medicinæ magis obtemperare, & minus multos prehendere, tandemque cedere viſa fuit. Interea cum neque vomitum & alvum moventia, neque ſanguinis detractionem, neque corticem peruvianum, neque celebriora antidota, quæ pro ſua quique philoſophandi, aut medendi ratione præcipiebant, quidquam proficere animadverteret; non aucta ſeu copia, ſeu denſitate, ſed manifeſta ad putreſcendum proclivitate ſanguinem peccare inde maxime novit, quod a fame potiſſimum proximeque in plebecula, & a contagione in ceteris dein ordinibus febris exorta fuerat. Eo igitur vir ſagax curationem direxit, ut acidis vegetabilium ſuccis & frigidæ liberali potione putreſcenti ſanguini reſiſteret, & *moſcho* (cujus in ea febri primus exhibendi auctor & ſuaſor fuit) infirmis viribus & convulſionibus una celeriter occurreret.

In reliquis acutis (quos *ſporadicos* medici nuncupant) ſi res poſceret, pluries de die ægrotos viſebat, ut morbi ægrotique ſtatum diverſis temporibus obſervando, & ſymptomata, & naturæ vires conatuſque accuratius inquireret & compa-

ra-

raret ; & quid in quoque morbi tempore opus facto eſſet, hoc pacto melius intelligeret. Etenim non ſatis eſt morbi cauſæ obſiſtere, niſi & gravioribus ſymptomatis, quæ idemtidem, aut certis temporibus excitantur, tempeſtive occurratur. Nonnumquam noctu etiam ægrotos adibat, ut facile, an difficulter ſomnum caperent ; & placide, an laborioſe dormirent ; & quæ reſpiratio ; qui decubitus ; qui pulſus eſſent in ſomno, obſervaret. Sciebat enim Vir experientiſſimus, non raro acutos, qui interdiu remittentes, ſanitatis ſpem faciunt, noctu ingraveſcere, & medico quamvis bene ominante, ex inſperato ægrotum de medio tollere.

In eis vero acutis, qui ſtatas, periculoſaſque acceſſiones habent, acceſſiones ipſas obſervare conſuevit, ut per ſe ſymptomata, quæ tum obvenirent, intueretur, indeque de toto morbi curriculo exituque certius judicaret. Sunt enim acuti quidam morbi, qui tam graves acceſſus habent, ut quandoque temporis puncto, nihil tale medico ſperante, interimant. Quos ſi diligens medicus avertere ſatagat, ægrum, magna cum ſui artiſque gloria, ab orci faucibus eripiet. Hinc tot febrium genera ab ingenioſiſſimo medico non multis abhinc annis vita functo excogitata fuerunt, quot gravioribus ſymptomatis acceſſionis tempore ægroti affici ſolerent. Atque idemmet ingenioſiſſimus medicus, liberali tempeſtivoque corticis peruviani uſu in id genus morbis, præſertimque malignis periodicis febribus, miras aliquot curationes fecit, quibus maxime inclaruit. Aliis permultis, quæ noſter tum in medendo ſedulo

ob-

obſervabat, tum in docendo ſerio præcipiebat; ut ad cetera majoris momenti pergam, ſuperſedeo.

Ac primo nullum medicamentum, vel antidotum, eſſe ajebat, quod in morbis omnibus præſcribi, aut in eis ipſis morbis, in quibus prodeſſe conſueviſſet, tuto conſultoque ſemper adhiberetur. Eos igitur, qui vel mercurio, vel antimonio, vel *Quinquina*, quomodolibet paratis, vel alio ſeu vetere, ſeu nuper adinvento remedii genere, ut panacea, omnibus in morbis utebantur, inter eos referebat, qui medicos ſe profiterentur, cum medicinæ prorſus eſſent ignari. Communia enim remedia putabat ſalubrem aerem, congruentem exercitationem & victum, reficientem ſomnum, alvum neque adſtrictam, neque fluentem, ceteraſque naturales excretiones intra ſuum modum, & tranquillum animum. Reliqua omnia, ut vomitus, ſudor, balnea, hypocauſta, & gelidæ, aut ferventes potiones, ſanguinis detractio, aquæ medicatæ, & celebrata quæcunque antidota, inter particularia recenſebat: quæ ſi recte tempeſtiveque præſcriberentur, conferrent; ſin minus, obeſſent.

In remediorum delectu ſimplicitati maxime ſtudebat. Compoſita & valde operoſa remedia, (theriaca, vetuſtatis reverentia potius, quam virium medicarum efficacitate, excepta) ut fallacia & periculoſa devitabat. Tum nec facile quæcunque remedia præſcribebat, nec rurſum facile permutabat. Quodcunque enim remedium, niſi violentiſſimum, pro ſua facultate certum ſemper aliquod agendi tempus requirere, quo effectum edat, recte affirmabat. Celerem igitur reme-

dio-

diorum permutationem nec ægro prodeſſe; nec medico, ad morbi curationem ex juvantibus & nocentibus indicationem deſumenti, quidquam conferre arbitrabatur. Nec tamen pervicax erat, ut remedii cognita inutilitate, in ſententia permaneret. Remediorum quoque farraginem acerbius vituperabat: ex qua, præter ægroti moleſtiam, incertius medici judicium redderetur. Nam ſi ex eis aliquod auferendum, aut deminuendum, aut aliter immutandum foret; quodnam id eſſet multa inter remedia, niſi Oedipus, divinare non poſſet.

In febribus, morbiſque aliis, qui acceſſus habent, quique vel in ipſo acceſſu, vel in augmento novum ſemper aliquod incommodum ægroto afferunt; incommodi ipſius genus & gravitatem perpendebat. Nam niſi id eſſet, quod juſtam de ægroti vita timendi cauſam injiceret, nihil in eo temporis articulo experiundum cenſebat: quod novum id ſive incommodum, ſive ſymptoma per ſe cum acceſſione foret deſiturum. Vulgus autem tam quæ timenda, quam quæ timenda non ſunt, ſi inſolita ægroque moleſta ſint, æqualiter expaveſcit; non item doctus exercitatuſque medicus. Ac ſæpe minus periti medici, ſi vel paullo gravius in augmento febris dormientem, vel loquaciorem, inquietioremque ægrum offendant, aut ſanguinem mittunt, aut efficacius aliud jubent, quod in præſenti non proficit, & reliquæ curationi plerumque obeſt. Id vero, niſi, ut prædixi, pergrave ſymptoma ſit, *pepaſmo febris ſoluto*, ut inquit Boerhavius, per ſe ceſſat. Nec vero fieri poteſt, ut cum ſubit, vel augetur febris, moleſtius aliquid æger non

per-

perferat. Is autem, qui ſubeuntis, aut ingraveſcentis febris ſymptomata vincere contendit, ſi aſſequatur, una febrem ipſam tollet: quod plerumque exitio ægris eſt: nam *ſæpe febris*, ut Celſi verbis utar, *præſidio eſt;* ſecus ac ii opinantur, qui febrim, ut teterrimum vitæ hoſtem, peruviano cortice continuo profligandam putant.

Cum in febri, aliove morbo critice ſudorem, vomitum, hæmorrhagiam naturæ vi moveri obſervabat, nihil moliebatur, nec proritabat alvum, nec ſanguinem detrahebat, vel opiatum præſcribebat. Vires tantum ſuſtentabat, ut ferendæ criſi ſufficerent. Per omnia naturæ obſervator & imitator erat, & agendi & quieſcendi tempora ex variis naturæ ipſius agendi & quieſcendi temporibus cognoſcebat. Medicum, qui ſemper ageret, nullumque ægroto naturæque requieſcendi vireſque reſumendi tempus daret, alterum gravioremque morbum appellabat.

Febrim, quæ rheumati, rheumaticis morbis, lentis nec facile reſolvendis tumoribus, & ſeroſæ colluviei ſupervenit, minime cohibendam; ſed aut moderandam, ſi vehementior, quam ratio poſtulet, aut exaugendam, ſi mitior ſit, quam oporteat, ſuadebat. Medicum, qui febrilem motum pro re nata, accendere, vel compeſcere noſſet, graviſſimos contumaciſſimoſque morbos facile curaturum; qui vero unice conſideraret ut morbum, nec quidquam in arte profeciſſe, nec in longorum omnium, & in acutorum complurium diſcriminis plenorum curatione voti compotem unquam futurum. Nam ſine febri nihil magni molitur natura, nec ſine febri variolas & morbillos, nec eryſi-

pe-

pelas, nec ſeu criticas, ſeu ſymptomaticas cutaneas excretiones movet; nec inflammationes, obſtructiones, convulſiones, paralyſes, torpores, congeſtioneſque alias ſine febri natura vincit. Contra ex febri præter rationem intempeſtiveque ſuffocata viſcerum obſtructiones, & inde, pro corporum, locorum, humorumque temperatione diverſa, vel ſcirrhos (quos vulgus cum lienis obſtructione plerumque confundit) vel hydropem, vel phthiſim, vel alios, non facile in tranſitu dinumerandos, organicos etiam morbos, conſequi docebat.

Remediorum nullum omnino præter cetera probabat, vel rejiciebat: ſuum namque cuique locum eſſe poſſe ratione atque experientia demonſtrabat. Ipſe vulgaria & ſimpliciora ceteris anteponebat. Elaboratis, novis, & chymice paratis rarius parciuſque; aliquando tamen utebatur. Diſtinguere vero ſolebat cibum a medicamento, & medicamentum a veneno; qua vulgari diſtinctione (exemplis namque doctrinas illuſtrabat) innuebat, medicamenta, quæ ad cibi qualitatem magis accederent, tutiora & inertiora; contra quæ a veneni viribus propius abeſſent, periculoſiora & valentiora eſſe. Propterea ſapientis medici eſſe, morbi genus, ægrotantiſque corporis vires cum remedii facultate comparare; ac poſt decernere, lenibus, an efficacibus, & probatis, an ancipitibus medicamentis utendum eſſet. Quamobrem eum animo optimum medicum exiſtimabat, qui ad univerſalem morborum notitiam, ſcientiam remediorum uberrimam adjungeret, ut pro diſſimili cum morborum, tum corporum indole &

conſtitutione, cuique corpori aptum medicamentum deligeret. Nec enim ſine ratione tantam ciborum medicamentorumque in eodem genere copiam & varietatem, naturæ auctorem hominibus obtuliſſe. Idcirco nonnullos nimia eligendi ſollicitudine, perplures nimia negligentia peccare. Inter extrema duo malebat ſollicitudinis timoriſque, quam temeritatis & audaciæ inſimulari. Nam qui præ nocendi metu ægroti vitam velut naturæ permittit, levius peccat, quam qui, ut ſervet, violenta interficit medicina. Non uſque adeo tamen prudentiam cautionemque laudabat, ut in ignaviam degeneraret. Siquidem ipſemet non raro cum in arto ægri ſalus videretur, paullo quidem calidius, ſed quod a temeritate audaciaque abeſſet, conſilium capere non dubitabat.

In præſagiendo longe prudentiſſimum ſe gerebat, nec tam ut famæ conſuleret (qui enim medicus in tam ampla obſcuraque materie verax ſemper exitus proviſor eſſe poteſt?) quam ut ne gravi denutiatione vel ægrotis fatum acceleraret, vel familiaribus dolorem deſideriumque ante tempus excitaret: ubi enim ſalutis luculentior facula apparebat, lætam ſpem ægrotis aſſidentibuſque lætiſſimo vultu explicabat. Adde quod ſæpe cum medicus certi adhuc nihil proferre poteſt, importune interrogatus, niſi prudenter a præſagio abſtineat, facile decipitur, ſeque ignariſſimæ multitudini traducendum præbet.

In longis morbis multo feliciſſimus fuit. Cum enim, ut alias dixi, natura ad meditandum eſſet comparatus; obſervando, interrogando, ex-

pe-

periundo tandem morbi cauſam ſedemque determinabat, & congruam medendi rationem inveniebat. Ac in longorum curatione minimum medicamentis, plurimum victui, exercitationi, & aeri tribuebat. Ac veteres recentibus ſapientiores medicos fuiſſe aſſeveranter affirmabat; quod non unis pharmacis, ſed & diæta, & diverſi generis exercitationibus, & vitæ cælique mutatione uterentur.

Longos morbos, niſi ſi celerum perperamque curatorum effectus eſſent, ſæpiſſime ab intemperantia, crapula, inertique vita in beatis; a pravo victu, obſcuriſque ædibus in proletariis; a ſellulariis artibus, vel immodicis laboribus, veneriave lue in cetera plebe repetebat. Quibus generalibus communibuſque cauſis aliam, velut Neapolitani cæli propriam, addebat, ſanioſam ſcilicet cutis pruriginem, ſalſitudinem Plinio, & vernaculo ſermone noſtro *ſalſedinem*, & *ſalſum humorem* dictam: quæ cum ſalutaris plerumque ſit excretio, ſorditieque ſua alias ſcabiem, alias herpetem, alias ſacrum ignem referat, imprudentes munditiei cultores ad repellentia compellit remedia, adeoque vel in lentos, vel in celeres inſanabileſque implicat morbos. Quare medicum, qui longis in morbis hæc omnia ſerio conſiderarit, & propriam corporum naturam vel prænoſſet, vel obſervando addiſceret, non difficulter idonea remedia inventurum pollicebatur. Attamen quoſdam longos morbos eſſe, qui aut curationem non recipiant, aut curatione ipſa deteriores fiant, atque in acutos letaleſque commutentur, perſæpe ac ſedulo auditores ſuos commonebat. Hos inter, inveteratos ſcirrhos, carcinomata, *aneuryſmata*,

 po-

Digitized by Google

podagram, *lithiaſin* connumerabat. Experientia namque, veterum recentiorumque commendatiſſima antidota aut nullius efficaciæ, aut morbis ipſis perniciosiora comperta fuiſſe clamabat.

Hypocondriacam & hyſtericam affectionem, frequentiſſimos civitatis noſtræ morbos, unam prorſus eamdemque affectionem eſſe demonſtrabat, quæ a nimia ſenſilitate nervorum oriretur, eoſque potiſſimum occuparet, qui deſidem vitam agerent. Huic autem curandæ exercitationem unicam, certam efficacemque medicinam eſſe prædicabat. Etenim exercitatam laborioſamque vitam ſectantes in hypochondriacam & hyſtericam affectionem vel nunquam, vel raro illabi animadverterat. Rationeque phyſica ab experientia deprompta id confirmabat: ſiquidem inter nervos & muſculos hoc intereſſe, ut cum frequenter ac valide agerent muſculi, ab actione ſua nervi quodammodo feriarentur; & viciſſim, cum ab agendo diu ceſſarent muſculi, vehementius agerent nervi. Cujus reciprocæ actionis cauſam inquirere medico ſupervacuum eſſe dicebat; quamquam non difficulter ex uberiore ſanguinis ad exſtimulatas exercitaſque partes affluxu intelligi poſſe innuebat. Senſim igitur inerti vitæ deditos ad exercitatam, & (ſi facultates paterentur) a tenuiori ad craſſius, & a tepidiori ad frigidius cælum transferri jubebat: tepidioris namque cæli, mollioriſque vitæ, atque uberioris ſapidioriſque victus fere conſectariam hanc eſſe ajebat valetudinem. Eodem modo imbecillam litteratorum valetudinem fulciendam arbitrabatur. Tametſi non diſſimulabat, quandoque hypochondriacæ hyſtericæque affectionis nomine

gra-

graviores morbos, lentam febrem (quam recentiores Britanni, *nervoſam* nuncupant) aſthma, tabem, hydropem pectoris, vomicas, ſcirrhos, obſcurioreſque affectus alios occuli ſolere.

Eos, qui nimia valetudinis ſollicitudine medicos quotidie conſulerent, & pharmacis continenter uti vellent, inſanabiles eſſe, peræque ut illos, qui nimia futuræ vitæ ſollicitudine ſibi & ſacerdotibus moleſti eſſent. Quos aſperrime objurgandos eſſe intelligebat, ut medicos & medicinam averſarentur, & ipſa medicæ curationis deſperatione, per ſe, h. e. naturæ vi, convaleſcerent. At vero non ſemper unico ſalutarique iſthoc conſilio medicis uti licere; cum ſæpenumero ſplendidæ perſonæ, quæ id genus morbi tolerant, liberam hanc ingenuis honeſtiſque medicis loquendi facultatem adimant. Quod ægrotorum genus, medicorum calamitatem vocabat.

Conſuetudinem illam levi quaque cauſa mittendi ſanguinis, ſolvendæ alvi, excitandi vomitus, vel aliud remedii genus experiundi ita damnabat, ut præſentis futuræque gravioris invaletudinis cauſam in pravam hanc conſuetudinem maxime conferret. Frequentiori ſanguinis detractione, cordis & arteriarum robur infringi, ut paullo auctiori ſanguinis moli dimovendæ impares fiant, ac niſi ſtato adveniente tempore rurſum incidatur vena, graviſſima protinus ingruant accidentia. Adnotabat etiam ex præpoſtera iſthac mittendi ſanguinis conſuetudine difficilem concoctionem, cachexiam, hypochondriacam hyſtericamque affectionem, hydropem, longaſque valetudines Neapoli frequentiores eſſe. Quapropter

hærebat, graviuſne peccaſſent Eraſiſtrati ſectatores, qui numquam ſanguinem detrahebant, an qui ætate ſua levi quacunque cauſa mitterent.

Catharticis ſæpius ſine gravi cauſa aſſumptis viſcerum vim labefieri experientia demonſtrabat. Levius putabat, ſegniorem alvum clyſteribus ſubducere; tamen malum eſſe non inficiabatur: iteratis enim ſtimulis, inteſtinorum vim ſenſim retundi, ut deinde per ſe nihil dejicerent.

Vomitu crebrius provocato, ventriculo, inteſtinis, peritonæo, totique abdomini, & pectori, cerebro, ſanguiferiſque vaſis vim magnam inferri evidentiſſime oſtendebat. Itaque virulenta emetica, non ſecus ac venena damnabat. Cum vero gravis cauſa vomitum ſuadebat, emeticum lene, neque nimis tenui, neque magno pondere, ut nec inanem conatum, ægrotis vomitu ipſo moleſtiorem, nec violentum exitialemque vomitum excitaret, imperabat. Emeticum tempeſtive exhibitum tam certo præſentique remedio eſſe affirmabat, quam ſanguinis detractionem, vel opiatum, vel corticem peruvianum, vel *hydrargyroſim* eis in morbis, quorum comperta hæc eſſent antidota. Vitabat tamen graciliora & habitiora, & ſanguinis ſputo, aut convulſionibus obnoxia corpora; & cum aliquid majoris incommodi ab emetico verebatur, neceſſarius tamen vomitus videbatur, ſanguinem prius detrahebat, & blandis potionibus ventriculum & viſcera humectabat. Huic remedio, ingenue fatebatur, ſe plurimum credere, præſertim in bilioſis, malignis, & autumnalibus curandis febribus, atque ad cohibendum immodicum pertinacemque alvi fluxum,

len-

lentaſque alias abdominis affectiones ab inertia ſolidorum exortas. Ubi vero organicum aliquod vitium ſubeſſe ſuſpicabatur, a leniſſimo quocumque emetico abſtinebat. Sed minime reticendum eſt, quod imperitis offenſionis, contra doctis peritiſque gratiæ cauſam præbuit: emetico nimirum in aſthmate humido, pleuritide & pulmonia ſuppurata, & id genus morbis, materiæ ejectionem, præter rationem interceptam, efficacius revocaſſe, quam ceteros *veſicatoriis*, ſanguinis miſſione, celebratiſque aliis chymicorum liquoribus. Aliquando, rarius tamen & circumſpectius, in ipſo ſanguinis ſputo: ſi hoc repente ceſſaret, ac ſpirandi difficultate æger corriperetur, emetico quamleniſſimo tuſſim exſtimulabat; non ut coaleſcentia vaſcula divelleret, & ſanguinis ſputum proliceret, ſed ut effuſum ſtagnantemque in pulmonis cavo ſanguinem educeret, antequam in pus verteretur, & phthiſim afferret. Quod vulgares medici minime perpendentes, ſanguinei ſputi nimis celeri compreſſione, ab hæmoptyſi in phthiſim ægros conjiciunt.

Hinc perſpicuum fit, non timiditate, ſed conſilio cunctari noſtrum, quam audere conſueviſſe. Nam ſi ratio efficacius remedium ſuaderet, nec æqualis ratio repugnaret, celeriter id adhibebat. Balnea frigida cum aliis in morbis, in quibus a veteribus præſcribebantur, tum etiam quibuſdam in febribus, in quibus præ nimio calore in furorem ægri agebantur, facile imperabat. Non ita vero ſi aut mitior eſſet calor, aut convulſionis, vel animi deliquii metus eſſet. Frigidulis potionibus libentius, quam calidis utebatur

tur in febribus, quod calidis vires infringi, frigidulis contra refici noverat; nonnumquam etiam gelidis, cum æſtu nimio diſſolutionem, aut concretionem ſanguinis pertimeſceret. Sed nihil horum ita probabat, ut non aliquando damnaret; nec ita damnabat, ut non aliquando probaret. Frigidæ uſum perpetuum in febribus, Neapolitanæ ſcholæ ſolemnem, pro febrium ægrotorumque natura moderabatur. Febrientes enim idemtidem bibere, ſalutare; ſingulis autem horis, aut crebrius, affatimque, non itidem ſemper conducere exiſtimabat. Inediam peracutis quidem in morbis; in ceteris vero, prout a peracutis magis abeſſent, minime laudabat. Ratione, experientiaque remedia, medendi regulas, victumque ita temperabat, ut pro re nata remedia, medendi regulas, victuſque rationem immutaret. Haud igitur mirari ſubit, ſi curationes ei plerumque feliciter caderent.

Aquarum medicatarum uſum in longis imi ventris morbis, modo abeſſet febris, ulcus, ſcirrhus, carcinoma, ſanguiferorum vaſorum dilatatio, & hæmorrhagia, ea ratione commendabat, ut parce diuque potius, quam ubertim brevique tempore ſumerentur. Verebatur enim, ne magna copia aſſumtæ, ventriculo inteſtiniſque pondere, preſſione, & acrimonia majorem in præſentia noxam facerent, quam utilitatem poſthac afferre poſſent. At ſi opportune, & modica quantitate, diuque, & caute adhiberentur, non mediocrem contumaciſſimis morbis profligandis operam eſſent allaturæ. Non indiſcriminatim vero medicatas quaſque aquas in omnibus abdominis

mor-

morbis præſcribi debere adjiciebat: aliis namque morbis ferratas, aliis ſulphureas, aliis aluminoſas, aliis alius generis aquas prodeſſe. Adhæc non omnes, quæ vulgo medicatæ exiſtimantur aquæ, revera medicatas eſſe; cum earum quædam venenatis rectius accenſendæ ſint. Analyſim chymicam perneceſſariam eſſe, eamque diligentiſſimam (quam noſtrates diu neglexiſſent: Lanzanus enim, cujus ſupra honeſta facta fuit mentio, primus ejus memoria, & nuper Cl. Nicolaus Andria, regius in Lyceo Agriculturæ profeſſor, accurate inſtituere cœperunt) judicabat. Sed analyſi non ſatis contentus erat, niſi pluribus & ſimilibus obſervationibus medicæ vires analyſi detectæ, effectibus confirmarentur. Itaque cum amicis querebatur, ſero ſe animadvertiſſe, quantum in civium valetudinem emolumentum redundaſſet, ſi medicatarum aquarum omnium vires tum analyſi, tum experimentis in ægrotis ſedulo captis definiviſſet. Propoſuerat igitur novæ Academiæ Præſidi Michaëli Imperiali, Francavillæ Principi, ut inter ceteras phyſicas Academicorum occupationes principem locum haberet ſedula inquiſitio medicatarum aquarum omnium, quibus Campanus, Neapolitanus, Puteolanus & Stabienſis ager, atque Inarime ſcatent. Turpiſſimum enim putabat, medicos ex vulgi opinione earum vires facultateſque ſtatuere. Juniores autem medicos admonebat, ut, niſi præcognitis earum viribus, eas ne præſcriberent.

Thermas, ſive, ut poſteriores medici loqui cœperunt, thermalium aquarum balnea caute raroque præcipiebat: experientia namque compe-

rerat, perpaucos eſſe, qui earum uſu convaluiſſent; contra plurimos, qui in deterius abiiſſent. Eſſe tamen caſus, in quibus prodeſſe poſſent, quoſque ipſe obſervarat, ſed rariſſimos, & qui ſummam medici ſollertiam poſcerent: Calidis hiſce balineis hypocauſta, queis ipſe quotannis utebatur, anteponebat: ſolemne autem (pace tanti viri) medicis eſt, ea remedia præ ceteris commendare, quæ ſibi ſuiſque profuiſſe experti ſunt. Atque haud minima diſcrepantiæ medicorum in curationibus cauſſa hæc eſſe ſolet. Reapſe tamen ſi humidius corpus eſt, & cerebrum nervique ſegnium humorum (quos pituitæ nomine veteres nuncuparunt) copia obruantur, hypocauſta calidis balineis utiliora ſunt; quippe quæ tenui vapore corpus intime penetrando & ſudorem proliciendo, humorum copiam & lentorem minuunt, & cerebri nervorumque munus vireſque ſuſcitant. Tot vero in hoc remedii genere experiundo advertere oportet ut, niſi aut recte inſtructus ſit æger, aut ei præſto ſit, qui conſulat, & opituletur, plus detrimenti, quam commodi inde ſit percepturus. Nec vero rara exempla ſunt repente in hypocauſtis exanimatorum. Sicut autem frigidiore balneo ſanguis a corporis ſuperficie ad interiora repulſus, in cerebrum maxime (utpote mollius & undique oſſeo operimento, ceu theca clauſum) irrumpit, & dolorem, vel gravius accidens efficit; ita hypocauſto ſanguis immodice rarefactus, in cerebrum potiſſimum impetum facit, & dolorem, vertiginem, vel apoplexiam inducit. Nam caput ipſum primo & gravius hypocauſto, locove quolibet calidiore offenditur. Proinde ſi quis

in

in hypocauſto difficulter ſudet,facilius is apoplexia corripitur. Peſſime hic igitur perſtaret in hypocauſto. Sudor enim profuſus humorum copiam imminuens, ſanguinis rarefactionem quodammodo temperat. Præterea adnotum eſt, eos, qui ſemel & iterum hypocauſtis uſi ſint, reliquo vitæ tempore eis abſtinere non poſſe. Male igitur illi faciunt, qui medicis præceptis ſeſe obligant, &, præter urgentem cauſam, remediis aſſueſcunt. Satis hæc eſſe poſſent medicæ noſtri peritiæ declarandæ. Reſtant tamen alia non prætereunda, quæ quambreviſſime per ſumma capita indicabo.

Mercurium in morbis veneriis tam exterius, veteri ſcholæ Neapolitanæ inſtituto, quam interius, corpore, ut medici loquuntur, prius præparato, ſine hæſitantia præcipiebat. Tot enim experimentis ſalutarem ejus efficaciam ad venerios morbos radicitus evellendos probatam eſſe clamabat, ut in dubium revocare, intoleranda eſſet audacia. Rectam vero ejus adhibendi, & pro vario morbi progreſſu, corporum habitu, & accidentium ſymptomatumque genere temperandi rationem, medicum cum primis prudentem atque exercitatum deſiderare. Salivationem, ſi leniter lenteque procedit, regiam viam eſſe, qua venerium virus e ſanguine expellatur: in hac tamen, pro ægri conditione, moderanda peritiam ſagacitatemque medici elucere. *Exoſtoſes* & duritias alias oſſium, (*gummi* vulgo medicis vocatas) tum *mercurialis* unguenti litu, tum vero experientiſſimi Ballonii egregio conſilio, *veſicatoriis* ſuperpoſitis, in ſuppurationem, quæ ſanabilior morbus eſt, perducebat.

Eo-

Eorum autem, quorum vel fauces vel frontales ſinus, vel capitis, & pectoris oſſa, vel partes veſicæ propiores lues altius pervaſiſſet, difficillimam curationem pronuntiabat. Plura in hujus miri tetrique morbi accidentibus & ſymptomatis dignoſcendis curandiſque in medicis colloquiis proferebat, quæ ſummum philoſophum, conſummatumque in arte medicum prodebant. In aliis vero morbis, qui a lue veneria non orirentur, vel numquam, vel raro & pertenui quantitate mercurium ſeu vivum, ſeu *ſublimatum* edulcatumque (quem *dulcem* medici nominant) ſeu ſulphure, ſeu alio pulvere exſtinctum, & veluti ſolidatum, quemque barbaro vocabulo vulgo *æthiopem mineralem*, aut (quod longe inficetius nomen eſt) *æthiopem alcalinum* vocant, interius adhibebat. Vivum mercurium ne in volvulo quidem ſatis eſſe tutum putabat; non quod venenati quidquam abſconderet, ſed quod pondere ſuo, ſi quid obſtaculi offenderet, inteſtina labefaceret, aut ſi acidi quidquam inveniret, fere in *ſublimatum* verteretur. Edulcatum perparce aut ad coctionem in longiori febrium genere accelerandam (loco *ſtibii fixi*, quod ipſe, ut inertiſſimum cinerem, impar ſanguini ſubeundo, inteſtinis vero inferciendis aptiſſimum exiſtimans, repudiabat) aut ad lumbricos necandos cum opportunis aliis remediis commiſtum fidentius præſcribebat. *Aethiopem* quolibet artificio paratum, leni cathartico adjecto, tum ad expellendos lumbricos, tum ad inteſtina craſſiori materie oppleta expedienda adhibere non ambigebat. In nervorum reſolutione, & membrorum tabe mercurii litum a non incele-

bri

bri auctore quadraginta ferme abhinc annos mirifice commendatum, tamquam apertiſſime noxium exſecrabatur.

Abſoluta mercuriali curatione, maxime ſalivationis ope, diuturnum lactis uſum commendabat. Perlonga enim medendi exercitatione compererat, vi mercurii fluidorum ſolidorumque compagem ita diſſolvi, ut ſuis quæque muniis recte obeundis minus reſpondeant. Longiore autem lactis uſu, & humores & ſolidas partes ad priſtinam naturalemque cohærendi & agendi reſiſtendique vim redigi, ratione experimentiſque probaverat. Quam ob cauſam ſi lues veneria & ſcorbutus copularentur, neutrum facile curari poſſe affirmabat.

Opiata, qualis ea cumque generis eſſent, niſi vehementior dolor, diuturnior vigilia, & uberior aliqua excretio in magnum ac præceps vitæ diſcrimen ægrum adducerent, non præſcribebat. Opiata enim effectum quidem, ſentiendi facultate ad certum tempus obtuſa, non cauſam morbi, aut ſymptomatis, tollere, optime adverterat. Ac ſicut dolore, vigilia, excretioneque nimium urgente, opiato tempeſtive exhibito, reficitur æger, intereaque naturæ agendi, & medico inquirendi providendique tempus datur; ita ſi inconſulto, aut ſæpius, opiata præbeantur, cerebri nervorumque vires & facultates magnopere pervertuntur, gravioreſque inde oriuntur morbi, quibus difficillime poſtea occurritur. Nec perpetuo dolorem, vigiliam, alvi fluxum nocere; contra non raro ſaluti eſſe ſolere, craſſos, ſtagnantes, putreſve humores attenuando, eoſque vel cum ſangui-

gui-

guine remiſcendo, vel extra corpus propellendo. Pluribus doctrinam hanc confirmabat, quæ miram ejus ſcientiam perſpicaciamque demonſtrabant. Siquidem addebat, ſine dolore nec a renali pelvi in ureteres, neque ab his in veſicam calculos; neque craſſiorem lympham (veterum pituitam) ab anguſtioribus ilei colique anfractibus in latiora ſpatia; neque impactum nervis humorem in epilepſia, & podagra, pulmonibus in pleuritide; neque fetum ab utero excuti poſſe. Tum non raro remedii loco dolores, vigiliam, alvi fluxum, vomitum, ſudorem, tuſſim, ſternutamenta medicos concitare. Hanc tamen doctrinam, quam primum ab Hippocrate didicerat, experientiaque deinceps plenius intellexerat, vulgo perſuaderi poſſe deſperabat; quippe cui perſuaſiſſimum eſſet, febrim, dolores, vigiliam, diarrhœam, vomitum, ſudorem, tuſſim, ſternutationem inter periculoſiora morborum ſymptomata ſemper referri; adeoque quamcelerrime efficaciſſimeque vincenda, nulla prorſus exitus habita ratione. Eapropter in opiatis præſcribendis cautiſſimum medicum eſſe oportere, quo non modo præſenti ægrotorum commodo, ſed & futuris gravioribuſque incommodis conſulat.

Veſicatoria, quæ cantharides recipiunt, quæque pertimide, atque in conclamatis tantum caſibus ætatis ſuæ medici adhibebant, ipſe vulgaria reddidit tam in acutis, quam in longis morbis; &, quemadmodum obſervationibus poſtea patuit, ſatis plerumque feliciter. Atque hoc loco merita noſter laude minime fraudandus eſt. *Veſicatoriis* enim non ad eos ſolum morbos, in quibus a ceteris adhiberi cœperant, ſed cum ad alios plu-

plures contumacioreſque vincendos, tum vero ad ſordidam cutis pruriginem (quam ſupra memini) vel repulſam, vel lentius parciuſque fluentem, & internas nobilioreſque ſedes infeſtantem evocandam, magno cum ægrotantium emolumento utebatur. Adhæc *veſicatoriorum* ope achores, quibus præ ceteris infantes miſerrime cruciantur, præſertimque in fronte, genis, auribus, nonnumquam & in oculis, a capite ad brachia propellebat. Quod quanti momenti inventum ſit, æquis rerum æſtimatoribus diſquirendum relinquo. Tanti certe inventum fuit, ut in vulgus manans, ſenſimque novis obſervatis confirmatius, ab ipſa demum plebecula, ſine medici conſilio, uſurpatum fuerit; & hodie, ut cum maxime, uſurpetur.

Antidotum nuper celebratiſſimum cicutæ in ſcirrhis, carcinomatis, iſchiade nervoſa, inveteratis glandularum tumoribus, obſtructionibuſque viſcerum abdominis, neque ut certam tutamque medicinam laudabat, neque ut potens venenum e remediorum claſſe penitus proſcribendum exiſtimabat. In eos tamen acrius invehebatur, qui novis periculoſiſque remediis fidem facile adjungerent. Tum miram eorum ingenii docilitatem (an fatuitatem!) demirabatur, qui cicutam a Cl. Störk in ſcirrhis tantum, incipientibuſque carcinomatis laudatam, morbis omnibus accommodatam eſſe crederent, ac præſcriberent. Aliquoties, cum ſcirrhi ſigna manifeſta deprehendiſſet, cicutæ extractum minima quantitate, corrigentibus aliis remediis admiſtis, & lacte, ſaluberrimoque victu, adjecto, non improſpere ceſſiſſe obſervarat. Sed

alias

alias plurieſque teterrima induxiſſe ſymptomata candide fatebatur, Störchiique auctoritate comprobabat; qui ſerio matureque proviſis antidoti ſui effectibus, facto palinodiam cecinerat.

Hydrophobiæ Sinenſe antidotum, quod, uti e cælo delapſum remedium, ætatis noſtræ Cl. medici extollebant, ſibi in Benedictini Ordinis famulo, a rabido cane demorſo ſemel & iterum experienti, omni omnino effectu caruiſſe teſtabatur. Idem quoque de *Stephanenſi lithontryptico*; *antidiabetico* Meadii; *antihectico* Poterii, & Britannorum, antidotiſque aliis, quæ a credulis medicis maximi fiebant, affirmabat. Eapropter cum amicis libere loquens dicebat, nihil non medicos ab antiquiſſimis heroicisque temporibus continenter ad nos uſque conatos eſſe, quo certiora adverſus inſanabiles quoſque morbos remedia invenirent; ſed paucis, iiſque vetuſtiſſimis, notiſſimiſque demptis, plerumque conatus irritos extitiſſe. Interrogatus ab graviſſimo viro, quidnam de tot apud vulgus famigeratiſſimis antidotis dijudicaret, reſpondit: eorum plurima, ſi forte evulgarentur, publicitus cum auctoribus damnatum iri; quædam vero arcani tantum auctoritate obtinere. Quid etiam de variolarum inoculatione opinaretur, ab eodem graviſſimo viro interrogatus, reſpondit: fervere adhuc novitate hominum ingenia; cum deferbuerint, & promiſſorum fidem ſereniore mente perpenderint, rectius judicatura.

Concuſſiones ignis electrici vi in corporibus excitatas, atque ad dolores rheumaticos, ſomnolentiam, torporem, imbecillitatem, ipſamque nervorum reſolutionem ab ingenioſiſſimis ætatis ſuæ me-

medicis confidentiſſime commendatas; ſi leviores, nullius prorſus efficacitatis, ſin violentiores, exitiales obſervaſſe fatebatur. Ab utriſque ſe autem abſtinuiſſe, ajebat; alienis enim periculis in ſua ſe cautiore medendi ratione magis confirmaſſe. Non deſperandum tamen eſt, fore, ut ſi pro morborum corporumque natura iteratis pluries experimentis recte adhibeantur, utiles aliquando futuræ ſint. Ita quidem Londini ſolertiſſimus noſtras phyſicus Tiberius Cavallus expertus eſt; & ita Neapoli luculento hac de re commentario propediem prodituro pollicetur illuſtris Eques Joannes Viventius, princeps Medicus Aulicus, Regnique Archiater, & rei phyſicæ ſtudioſiſſimus.

Notatu quoque dignum eſt, junioribuſque medicis ſcitu apprime utile, noſtrum longo medendi uſu cognoviſſe, ſæpe medicos frivolis de rebus inter ſe acriter diffidere, atque ad ipſas inimicitias deſcendere: cum leves medicorum ægrotorumque lapſus natura perferat; & aliquando ſolis naturæ viribus ſive mittatur, ſive non mittatur ſanguis, & ſive ſubducatur, ſive non ſubducatur alvus; & ſive paullo tenuius, ſive paullo lautius alatur æger; & ſive una, ſive alia ratione curatio fiat, peræque vincitur morbus; & contra ſi valde imbecilla natura ſit, ſollicitudo ac ſolertia medici quævis inanis ſit.

In curationibus quam & ſolers & ſimplex fuerit, ut junioribus exemplo eſſe poſſit, paucis demonſtrabo. Virginem, quæ naturali purgatione defecta, ceteris artis auxiliis nihil proficientibus, in phthiſim plane labebatur, *fonticulo* in interiore femoris parte, paullo ſupra genu aperto, ſa-

ni-

nitati reſtituit; per fonticulum, tamquam per uterum certo tempore, certaque copia ſanguine effluente.

Mulierem ſine manifeſta cauſa lente intabeſcentem, nullumque, præter capitis inanitatis quemdam ſenſum, neque corporis, neque animi morbum accuſantem, interrogando, morbi cauſam explicare coegit: exquirens enim, num forte ſuavem aliquem odorem perciperet: *vanillæ* ſe moleſtum odorem diu noctuque percipere dixit. Qua re cognita domum luſtrari juſſit, ut num *vanilla*, aut vaporum aliud corpus, quod affinem *vanillæ* odorem ederet, alicubi occurreret. Nihil hujus repertum fuit; ſed mulieris cubiculo aromatum officinam ſubeſſe, e qua *vanillæ* odor tum interdiu, tum maxime noctu exhalabat, detectum fuit. Mutato igitur cubiculo, obſtructoque odori aditu, mulier brevi convaluit.

Comes Lycianuli, ex nobili Afflictorum gente, mihi narravit, ſe, cum bene mane adhuc jaceret in lecto, a noto rabido cane viæ, quem ipſe pridie interfici juſſerat, & ſtulta familiarium miſeratio non occiderat, eorumdem incuria domum, & cubiculum ipſum ingreſſo, & inde lectum aſcenſo, & clamore calcibuſque de lecto depulſo, in pede demorſum. Accurrunt tandem domeſtici, canemque expellunt & interficiunt. Deinde noſtrum arceſſunt, cui conſternatus caſum narrat Comes. Pedem noſter detegit, demorſumque locum inſpectans, ruborem & perlevem dentium preſſionem obſervat. Comes perterritus lodicem, eamque pinguem, dentibus laceratam oſtendit. Noſter vero ſuppoſitum linteum retegit, & integrum,

grum, ſiccumque reperiens, hilari ei vultu dicit: ſalva res eſt, Comes: lodix virus totum imbibit, teque incolumem præſtitit. Extrema dentium pars linteum cuti appreſſit, unde rubor & leviculum dentium veſtigium. Virus a rabido cane effuſum, etiam citra morſum, ſi cuticulam attingit, nec illico abſtergetur, rabiem procreat; morſus ſine viro innoxius eſt. Quare timorem abjice. Pedem, ſi vis, aqua roſacea vel e ſambuci floribus ablue; ſolitam potionem bibe; ſurge; de more deambula. Potes, animo ſatisfacturus, antidotum aliquod, ut quod Neapoli jam vulgatiſſimum habetur, & *rocca ſicca* nuncupatur, vel aliud quodcunque, ſumere. Sed minime opus eſt. Noſter abiit, timoreque depoſito ſurrexit Comes, & ſibi ſuiſque ſatisfacturus, antidotum aliud ſumpſit, nec mali quidquam expertus eſt, ut multos annos ſanus vixerit, & vivat, victuruſque permultos videatur. Porro, ſi virus ſanguini infuſum eſſet, vel non convaluiſſet, vel non ita celeriter. Curatio hæc (ſic recte vocari debet; ſubtraxit enim hominem curationi cuilibet ancipiti moleſtæque) ſine dubio mirabilior eſt, quam ſi omnibus artis præſidiis eſſet confecta: tota enim ex ſcientia & perſpicacitate fluxit.

Hæmoptyſin in juvene *plethorico*, uberrimæ iteratæque ſanguinis detractioni, gelidis potionibus, inediæ, ſilentio, & quieti non obtemperantem, pectore faſciis obligato, ſic ut æger vix ſpiritum duceret, citiſſime reſtinxit. Quo novo remedii genere (nam artuum vincturæ in hæmorrhagiis ab Hippocrate oppoſitis in locis commendatæ, nihil cum hac pectoris commune habent)

 ideo

ideo uſus eſt, quod ex acutiſſimo pectoris dolore in *hæmoptyſin* incurrerat juvenis; & quod is, niſi pectoris dolor acuebatur, ſanguinem non effunderet. Qua pectoris æquabili compreſſione illud vir ſagaciſſimus conſequi volebat, ut dolor ſopiretur, eoque ſopito ceſſaret ſtimulus ſanguinem alliciens, indeque ſanguinis ſputum ſiſteretur; quod, ut animo præceperat, feliciter cecidit.

Michael Portius architectus, Franciſci Portii Medicinæ profeſſoris in Lyceo, noſtrique collegæ, germanus frater, qui ex gravi apoplexia dextrum corporis latus, & loquelam amiſerat, aliquot poſt annos, in acutum pectoris morbum delabitur, cujus curandi gratia aliquoties ei ſecta fuit vena, & alia præbita opportuna remedia. Acuto autem morbo declinante animadverſum fuit pergrave ſymptoma, urina triduo ſuppreſſa. Noſter, qui curationi præerat, trepidantibus domeſticis, Franciſco ægroti fratre, aliiſque medicis, & varia ſuadentibus, ſubridens, timori parcerent, dixit: nihil ſe namque, niſi magnopere falleretur, mali ſuſpicari: nam corpus morbo, inedia, & ſanguinis non una detractione debilitatum, minus urinæ in veſicam demittere, ægrumque ipſo jacendi ſitu, urinæ pondus minus ſentire. Proinde ſe ſperare, corpore erecto, ægrotum illico micturum. Vocantur robuſti duo famuli, ægrotumque e lecto extrahunt, rectum ſtatuunt, urinamque extemplo effundere magna cum voluptate & admiratione ſpectant. Quod præſagium, etſi nihil portenti præſefert; tamen quia ingenii ac ſcientiæ fructus eſt, jure magni fieri debet. Atqui curationes & præſagia id genus, quæ, antequam fiunt, maximi æ-

ſti-

ſtimari ſolent; facta, ab imperitis & nebulonibus contemnuntur; contra ab ingenuis doctiſque medicis ſummopere commendantur.

Mulier natu grandior, quæ, ob plures graveſque partus toleratos in juventute, in albidam uteri proluviem inciderat; hac ſubito, ſine nota cauſa, cohibita, capitis dolore, & ponderis quodam ſenſu in locis correpta, medicum advocat. Hic, quæ ſibi opus facto videntur, imperat, interque alia *veſicatorium* ſiniſtro cruri. Chirurgus *veſicatorium* applicat, & de more obligat; redit XXIIII. poſt horas, ut ſolvat, auferat, & veſicam abſcindat; admirabundus tamen neque veſicam, neque ruborem, neque calorem in ſubjecta reperit cute. Cum medico rem communicat, atque uterque in effetam *veſicatorii* maſſam culpam rejiciunt. Novum igitur acriuſque veſicatorium imponitur, ſed eodem effectu. Tum rei novitate perterritus medicus, noſtrum arceſſi jubet, ut ejus conſilio res melius geratur. Accedit noſter, caſuque audito, primum ſiniſtro brachio manum admovet, pulſus ſimul & calorem mollitiemque cutis exploraturus; idem poſt facit in dextero brachio. Reperit autem ſiniſtri brachii languidiores pulſus, & aridiorem peneque rigidam cutem. Domeſticis mandat, ut crus utrumque attrectent. Hi vero ſiniſtrum crus plane gelidum, dextrum paullo calidius referunt. Tum noſter jubet calidam in pelvi afferri, in eamque ægrotæ pedes immitti, & femora *tinctura ſuccini* fortiter fricari. Deinde ex dextro pede paucas ſanguinis uncias detrahi. Poſtremo utrique cruri *veſicatoria* imponi. Ait medico, niſi gravius accidens

ingruat, quod *veſicatoriorum* effectum antevertat (apoplexiam verebatur) futurum, ut effectus conſequeretur. Itaque evenit. Monuit autem medicum & domeſticos, ut deinceps *veſicatoria*, interpoſitis ſpatiis, rurſum diuque admoveri curarent. Convaluit tum mulier, reverſo albo uteri fluore. Spreta vero a domeſticis *præſervativa* curatione, anno poſt gravi apoplexia corripitur, ſiniſtroque deperdito latere, decumbens reliquum vitæ tempus in lectulo miſerrime traxit. Salutaria hujus generis conſilia ex tempore perplura cepit; quæ, ne medicarum curationum hiſtoriam texere videar, omitto. Sed minime omittenda eſt ſolertiſſima ratio, qua adverſam & prope (ob deglutiendi difficultatem in dies ingraveſcentem & reſpirationis organa vitiantem) nutantem vitam ad octogeſimum expletum annum tueri valuit. Nam acuti morbi a mediocri quovis medico, in robuſto juvenilique corpore non difficillime (quippe ſtrenua juvante natura) curari poſſunt; longi vero, inveterati, & a læſione organorum profecti, niſi a doctiſſimo peritiſſimoque medico cohiberi & deliniri non ſolent. Ac niſi intempeſta nocte e lecto exſilire, frigidoque aëri ſe objicere, ut periclitanti ex laborioſiſſimo partu Reginæ ſuccurreret, coactus eſſet, adhuc fortaſſe viveret. Ipſe tamen nimio vitandi frigoris metu (multos enim jam annos, ut faucibus proſpiceret, nec pedibus umquam ingredi, nec niſi pannis bene contectus domo exire aſſueverat) ſeſe aëris injuriis magis obnoxium reddiderat. Hac igitur ſive cauſa, ſive occaſione, quam ipſemet non diſſimulavit, graviter

ter inflammatis faucibus pulmonibuſque, intra paucos dies, Nonis ipſis Auguſti MDCCLXXXIII. obiit, pompaque maxima totius novi Academici cœtus & Profeſſorum Lycei, atque univerſæ medicæ juventutis comitatu, elatus ac ſepultus eſt in eodem templo & ſacello, in quo ipſe condi fecerat Agnellum Vaxallum, in tumulo e regione ab eruditiſſimo Viro Hieronymo Vaxallo Agnelli ex fratre nepote ei exſtructo, cum eleganti veroque titulo.

Quanto autem luctu interitus ejus civitatem affecerit, ex amore, gratia, & benevolentia, quæ apud omnes ordines de ſe concitaverat, vel me ſilente, intelligi poteſt. Ipſe quidem, niſi inſanabili faucium morbo conflictatus, poſtremoque ſenex, cum laborum fructu placide frui debebat, inſperato immeritoque fortunæ fulmine perculſus eſſet, diu beateque vixiſſe dici poſſet. Nam ſplendide vixit, & cum lepidis genialibuſque amicis quotidie cenavit, & nobiliſſimorum hominum gratia & familiaritate, & omne genus docto liberalique homine dignis oblectamentis, & litteratiſſimorum hominum opinione, quoad vixit, conſtantiſſime uſus, ſuo deceſſit tempore. Adhæc nemini umquam incommodavit; & ſi cui non profuit, eo ſane conſilio a benefaciendo abſtinuit, ne vel immerentibus benefaciendo, ad occupanda munia animos adderet; vel merentes ab obtinendis deterreret. Noverat enim Vir ſapientiſſimus, nihil magis induſtriis probiſque adoleſcentibus animos frangere, quam ad honores & fortunas indignos evehi. Quin ipſos optimæ ſpei adoleſcentes celerius promotos, plerumque inſo-

len-

lentes ignavoſque fieri. Modeſtiæ autem laude tanta floruit, ut neque de ſe magnifice umquam, neque contemptim de aliis locutus ſit, neque imperitorum arrogantiumque impudentiam retundere ſuſtinuerit. Quæ tamen præclara ceteroquin virtus, magnæ ipſi fraudi fuit: ſiquidem audaciores, ſolerter modeſtiam ſimulando, ejus gratiam inibant. Illud vero noſtri vere ſingulare ingenium oſtendit, quod & ficta a veris facillime diſtingueret; & dubiis in rebus quod veri ſimilius eſſet, illico cerneret. Quamobrem multi conſilii erat, & habebatur, conſulebaturque non ſolum in morbis, ſed in aliis etiam graviſſimis rebus. Neque reticendum eſt, in familiari ſermone, & cum ex tempore ſcriberet, nitidiorem venuſtioremque fuiſſe, quam cum meditato utrumque faceret. Auditores innumeros habuit; diſcipulos vero & alumnos perpaucos: quamquam permulti, ut probarent ſe vulgo, ejus ſe diſcipulos jactabant. Cum enim totos dies negotiis diſtineretur & faucium morbo raro laxaretur; non ſatis temporis habuit, quod perficiendis diſcipulis alumniſque inſumeret. Pauci tamen ejus ſtudioſiores lucubratiunculas data opera conficiebant, eique corrigendas dabant; atque hoc artificio ejus ſcribendi philoſophandique rationem eliciebant. Quapropter Lyceum, medicina, litteræ, ejus obitu non levem Neapoli jacturam fecerunt.

NAPOLI

Rev. D. Auguſtinus Gregorius Golinus in hac Regia Studiorum Univerſitate Profeſſor revideat autographum enunciati Operis, cui ſe ſubſcribat, ad finem revidendi ante publicationem, num exemplaria imprimenda concordent ad formam Regalium Ordinum; & in ſcriptis referat. Datum Neap. die 5. menſis Septembris 1784.

J. A. TARSENSIS C. M.
S. R. M.

Quod unum immortali Franciſci Serai memoriæ reliquum debebatur, nempe ut accurata ejus vitæ hiſtoria texeretur, & poſteritati mandaretur, id accuratiſſime præſtitit Vir clariſſimus Thomas Faſanus in noſtra Academia primarius philoſophiæ Profeſſor, qui in Præceptorem ſuum gratus, latinum Commentarum pereleganter conſcripſit, in quo de ejus vita, ſcriptiſque dilucide, eruditeque diſſeruit. Hunc ego Commentarium juſſui Regio parens diligenter legi; nec mihi licuit quidquam invenire, quod vel juribus Majeſtatis, vel bonis moribus obſtaret, ac propterea dignum puto, qui in lucem edatur, ejuſque editionem cum Præceptoris memoriæ ornamento, tum Scriptori ejus diſcipulo, nunc eximio juventutis doctori, laudi haud mediocri futurum reor. Neapoli prid. Id. Novem. an. MDCCLXXXIV.

Majeſtati

Devotiſſimus, atq. Obſequentiſſimus
Auguſtinus Gregorius Golinus Reg. Pr.

Die 20. menſis Decembris 1784. Neapoli.

Viſo reſcripto S. R. M. ſub die 18. currentis menſis, & anni, ac approbatione Rev. D. Auguſtini Gregorii Golini, de commiſſione Rev. Regii Cappellani Majoris, ordine præfatæ Regalis Majeſtatis.

Regalis Camera S. Claræ providet, decernit, atque mandat quod imprimatur cum inſerta forma præſentis ſupplicis libelli, ac approbationis dicti Rev. Reviſoris. Verum non publicetur, niſi per ipſum Reviſorem facta iterum reviſione affirmetur, quod concordat ſervata forma Regalium ordinum; ac etiam in publicatione ſervetur Regia Pragmatica; Hoc ſuum.

PATRITIUS. CARAVITA. AVENA. TARGIANI.
Vidit F. R. C.

Illuſtris Marchio Citus Præſes S. R. C., & cæteri Illuſtres Aularum Præfecti tempore ſubſcriptis impediti.

Athanaſius. *Rev.*

Rev. Dominus D. Franciſcus Roſſi S. Th. Profeſſor revideat, & in ſcriptis referat. Die 19. Octobris 1784.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

EMINENTISS. DOMINE.

Legi *Commentarium de Vita &c.* nec quidquam in eo offendi, quod aut orthodoxæ fidei dogmata attentet, aut bonos mores corrumpat. Nil in eo, niſi ornatiſſimo ſtilo compoſitum, bonæque frugis pleniſſimum occurrit. Tantam vero ſententiarum gravitatem cum multo conjunctam lepore ſpirat hic libellus, ut, dum lectori multum præbet oblectationis, plurimum ſimul ad agendum tam in publicis, quam in privatis rebus conferre poſſit. Quare, ut typographicis formis commentarius iſte committatur, e re publica cenſeo. Neapoli v. Kal. Decembris 1784.

Em. Tuæ

Addictiſſimus, & Obſequentiſſimus
Franciſcus Roſſi.

Attenta relatione Domini Reviſoris imprimatur. Datum Neapoli die 20. Decembris 1784.

JOSEPH BUCCI V. G.

JOSEPH ROSSI CAN. DEP.

NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google